

Hist. M.  
V 160.



PAUL ADAM NACHFOLGER  
KARL LYON  
KUNSTBUCHBINDEREI  
DÜSSELDORF



B

171

ANTONII JOSEPHI BINTERIM,  
pastoris in Bilk, et Suburbio Dusseldorpiensi.

EPISTOLAE CATHOLICAE

de

PROBATIONIBUS THEOLOGICIS:

---

DE VI, RECTOQUE USU

Probationis in rebus theologicis

per Acta Martyrum genuina et sincera:

Epistola Prima.

---

DUSSELDORPII,

Sumptibus J. H. C. SCHREINER.

1820.



V 160

Servemus igitur præcepta Majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum illum propheticum non seniores, non potestates, non angeli, non archangeli aperire ausi sunt. Soli Christo explanandi ejus prærogativa servata est. Librum sacerdotalem, quis nostrum dissignare audeat, signatum a confessoribus, et multorum jam martyrio consecratum? Quem qui dissignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui violare non ausi sunt, confessores, et martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?

S. Ambrosius Episc. Mediol. in tertio ad  
Gratianum imp. libro,

DE VI, RECTOQUE USU

probationis in rebus theologicis

per acta Martyrum genuina, et Sincera.

EPISTOLA CATHOLICA PRIMA.

ad

R. D. Josephum Florimundum DRECKER

Theologum, et pastorem

in

Engelskirchen.





~~~~~

## Pars prima Dogmatica.

---

- §. 1. Probationis genera varia.
- §. 2. De studio ecclesiä colligendi acta Martyrum.
- §. 3. Jnest martyrum actis vis magna probationis.
- §. 4. Martyres in omnibus religionis articulis optime instructi.
- §. 5. Actorum vis magna confirmatur.
- §. 6. Rectus usus präscribitur.
- §. 7. Apud Theologos dogmaticos nondum satis usitatus.
- §. 8. Ex actis Martyrum collectä reliquiä pro libris deuto canonicis.
- §. 9. Patrum ante-nicänorum fidem de St. Trinitate eandem fuisse, quam post-nicänorum, ex actis legitime probatur.
- §. 10. Cur rarior de septem sacramentis in martyrum actis mentio.
- §. 11. Hierarchiam divinä institutionis esse, acta Martyrum testantur.

- §. 12. Locus de purgatorio, et suffragiis pro defunctis in actis St. Perpetuä, et Felicitatis expenditur, et vindicatur.
- §. 13. St: Crucis, ejusque signi virtus specialis ex actis legitime probatur.
- §. 14. Acta clare deducunt, a primis ecclesiä säculis sanctos honore religioso fuisse veneratos.
- §. 15. Monumentum insigne in actis St. Saturnini et cät. Mm. pro dissolutione matrimonii rati per votum solemne, aut professionem religiosam.
- §. 16. De Pluralitate, et generalitate dogmatum in primitiva ecclesia.
- 

### Pars secunda moralis.

---

- §. 1. Quam morum regulam secuti sunt martyres?
- §. 2. Non omnia martyrum facta in exemplum, et regulam trahenda.
- §. 3. Vindicantur nonnulli martyres sese sponte flammis, aut bestiis tradentes, aut in se excitantes eas, a calumnia violati juris naturä.



- §. 4. Et a calumnia obstinationis, aut ingredientiâ  
erga principes, et legitimos superiores.
- §. 5. Licitumne erat primis sæculis artem pictori-  
um vel sculptoriam exerceri a christianis?
- §. 6. Catalogus artium, quas christiani exercuerunt,  
et quâ connexionem habent cum arte  
pictoria.
- §. 7. Extitisse monasteria primis sæculis ex actis  
Martyrum probatur.
- Coronis.
-



---

Reverende, colendissime Domine!

---

**M**eum sane studium omne, omnisque cura est, quotidie præter alia, nostrorum dogmatum veritatem pro virili portione extendendi; Vir optime! Verissima enim reputo, quã olim St. Hieromacho Gabrieli Severo scribebat Emmanuel Marguinus. Non parum mihi videtur opportune lædi, quod eos pati arbitror, qui ne parum quidem studium impendunt, quam maxime jucundum sit, res hujusmodi adgredi, et ne quantum quidem possunt; neque omnino discendi cupiditatem circa hujusmodi res amplectuntur, dummodo ipsi con-



secuti fuerint posse et sermone et opere iis, qui eorum dogmati adversantur, occurrere.

¶ Duo revera plerumque nostris temporibus in plurimis desiderantur, Velle nempe, et Posse, seu voluntas refutandi veris, fundatisque doctrinis eos, qui fabulas mendaces spargunt, et potentia hęc accurate et solide perficiendi. Renuunt sat plures, queis nec stylus nec copia deficit scientiarum, solidęque artis, in aciem congrredi cum adversariis, cum e contra audaces alii, quorum dux est ignorantia, prodeunt, putantes se principes esse in re litteraria, cum folia volantia, illaque perversa celeri oculo legerint, aut quosdam versus e nostris poetis canere valeant. Me vera dicere, Tu experiris quotidie, sedens in Musarum choro. Testantur et illi, quos omni die legimus, libri, in quibus morum puritas læditur, falsa dogmata adstruuntur, vera, ac divina contemnuntur, eaque illo depinguntur colore, ac describuntur calamo, quasi plane infirmis, aut omnino nullis nisa fundamentis, quę vel perversi fabulatores nesciunt, vel callide recondunt. Horum ego semper  
 Odi profanum vulgus, et arceo.

Et ideo libenter, sagacique animo vetera perquiram, ut vera inquiram. In ipsa enim catholica ecclesia, nitide admonet Vincen-  
 tius Lerinensis Commonit. C. III. pag. 92. edit. Klüpfel. Magnopere curandum, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere, proprieque catholicum; quod ipsa vis nominis, ratioque declarat: Sed ita hoc demum fiet: si sequamur universitatem, antiquitatem et consensionem. Sequemur autem antiquitatem ita, si ab his sensibus nullatenis recedamus, quos sanctos majores, et patres nostros celebrasse manifestum est. — Inter principales majores, patresque nostros catholica semper numeravit, ac coluit ecclesia martyres sæculorum primorum. Non vacuum igitur, Tibique haud injucundum opus aggredior, cum epistolam Tibi mittam de Vi, rectoque usu probationis in rebus theologicis per acta Martyrum sincera, et genuina; simulque tentamen instituem, qua ratione ex iis dogmata confir-

mari possent, bonique mores conservari, ecclesiastica disciplina roborari, ac ab adversariorum commentis, et replicationibus liberari. Nullam enim neglexi occasionem refellendi eos, qui mihi occurrerunt in via. Refutatos invenies illos de St. Trinitatis mysterio Platonice perperam sentientes, Basnagium de purgatorio, et suffragiis pro defunctis, Montacutium de virtute S. crucis, Werneccium de veneratione sanctorum, Paalzowium de fidei articulis, horumque generalitate, ac pluralitate. Sed et ut nihil sileam, nonnullos tetigi apud catholicos in prima parte dogmatica, sicut et in secunda morali, in qua et caput totum sextum libri primi operis Dalläi de imaginibus, quod prætermisit celeberrimus Natalis Alexander, singulari cura repressum habes.

Hanc autem cum Tibi scribam de probationibus theologicis primam epistolam; id unicum peropto, ut illam accipias in tesseram perennis amicitii, cujus Tu mihi tot dedisti signa, et in gratiarum actionem pro Tuis in parochia mea præstitis officiis. Etenim per tres annos

In vinea Domini Tu mihi dexter eras.

Si autem fors hæc nimis proluxa, aut immodice deducta, aut longa videbitur, occurrat Tibi præprimis illud Quintiliani. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paulo pluribus verbis debet haberi venia.

Vale.





---

De Vi, rectoque Usu

Probationis

in rebus theologicis, præsertim Dogmaticis

per acta Martyrum genuina, et sincera.

---

PARS PRIMA.

---

§. 1.

Probationis varia genera.

---

**O***mnis scriba doctus, Domino nostro attestante Matth. XIII. 52. in regno cölorum, id est: in vera Dei ecclesia profert de thesauro suo nova, et vetera, ut suavi hac tradendi varietate pietatis dogmata condat, roboretque, nec non fidei adversarios ab erroris via revocando facilius convincere, ac ora loquentium iniqua obstruere possit: Nam*

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,*



Hac admonitione animati Theologi nostri ad religionis veritatem adserendam, ac contra adversarios defendendam omnis generis argumenta produxere nova veteribus mixta. Ut taceam illos, qui generaliter de divinis dogmatibus scripserunt, eaque ex conciliis, ac patribus probarunt, tanquam *traditionis* testibus, sac custodibus; hos tantum tangam, qui speciali probationis genere, novaque methodo dilucidarunt vel mysteria, vel doctrinam nostram Ecclesiam catholicam, vel universim religionis fundamenta. Sic clar. Stephanus Moynius in hac S. Policarpi M. verba: *Et Domino Jesu Christo Salvatore*, quae leguntur in hujus Martyris Epistola, integram pro Divinitate Jesu Christi edidit dissertationem, in suis Variis sacris Lugduni Batavorum 1694. editis. Post hunc eadem praestitit Jacobus Henricus Balthasar, cujus edita est *Doctrina Policarpi, et Demonstratio Veritatis, et div. originis librorum novi testamenti ex Clementis Rom. testimoniis*. Jenae 1738. Nota est Georgii Friderici Seiler in universitate Erlangensi Profess. theologi *Christologia Justiniani*, sicut et postea ab ipso edita *Tatiani, Athenagorae, et Theophili Antiocheni Christologia*. Similis argumenti Dissertationem edidit Wirceburgi 1778 Franciscus Leibes, vel Cla. Franciscus Oberthür, *qua exponit Justiniani, Tatiani, Athenagorae, Theophili, ac Hermii de praecipuis religionis Christiani dogmatis sententiam*. Binis quoque dissertationibus *Philosophiam veteris ecclesiae de Deo, ac Mundo*

tradidit, Tubingä 1782 et 83. Christianus Frideri-  
 Roesler. Veruntamen si singulos omnes, qui primo-  
 rum säculorum Patrum sensa de hoc illove dogmate  
 particulariter dilucidarunt, enarrare vellem, quo tan-  
 dem nostra percurreret Oratio? Lege Fabritium in  
 libr. Vera Lux Evangelii, in quo ea recenset, quä  
 ante suam ätatem edita sunt, et quidem copiose.  
 Prästat tantum hic eos nominare, qui singulari *Pro-  
 bationis* genere viam tentarunt novam. De Proba-  
 tionis usu per *inscriptions* diffusa, doctaque extat  
 dissertatio Viri celeberrimi Francisci Antonii Za-  
 charias Jesuitä itali in Thesauri novi theologici Tom 1.  
 De *Probatione per picturas in sacris* eleganter pro  
 more suo egit Cla. Franciscus Antonius Dürr in  
 Universitate Moguntina Jurium, et historiar. Doc-  
 tor 1779; similem postea nempe 1788. edidit disser-  
 tationem de *Probatione per Numismata*, promittens  
 alias ejusdem generis dissertationes per Epitaphia,  
 per Epistolas, quas tamen litteratus orbis non vidit.  
 Jen. 1810 de antiquissimis hymnis et carminibus  
 christianorum sacris in historia dogmatum christ.  
 utiliter adhibendis egit J. C. W. Augusti. Nullus  
 adhuc, in quantum scio, egit de Probatione  
 per Acta Ss. Martyrum genuina, id quod merito  
 demirari licet. Qua de causa tot virorum illustrium  
 exemplis incitatus tentabo quidquam de *Vi*, recto-  
 que usu hujus Probationis in rebus dogmaticis per  
 acta Martyrum edicere, variisque exemplis illus-  
 trare.

## §. II.

## De studio Ecclesiä colligendi Acta Martyrum.

Morem fuisse a primis ecclesiä säculis Martyrum acta vel proconsularia, vel a testibus oculatis, aut ad id munus constitutis conscripta colligendi, ac conservandi; häc ac istorum Martyrum nomina ab una, ad aliam Ecclesiam transmittendi, eruditi unanimiter consentiunt; id adhuc testantibus ecclesiä Smyrnensis, Lugdunensis, aliarumque ecclesiarum, ac Episcoporum litteris encyclicis. Hac ex consuetudine originem deduxerunt variarum Ecclesiarum Martyrologia, in quibus compendiose acta enarrabantur Martyrum, non raro his quoque adjecta et ipsa proconsularia acta in integrum conservata. Plura hanc causam spectantia enarrant Cl. Ruinart Präfat. in acta Martyrum §. 1. Honoratus a S. Maria Animadversiones in Usus et regulas Critices Tom. I. Diss. IV. fol. 173. — Benedictus XIV. de Servorum Dei Beatificatione lib. I. Cap. 3. \*) Paul. Aringhius Roma subterr. noviss. lib. I. Cap. 30. fol. 169.

---

\*) Präter hos ab Ruinartio, aliisque nominatos Martyrum actorum Collectores refert alios quosdam B. Notkerus Balbuus apud B. Pez. Thesaur. noviss. Aneecdot. Tom I, P. I. fol. 12.

Hæc particularibus in ecclesiis conservata Martyrum acta pace Ecclesiâ reddita primus collegit Eusebius Cæsariensis, ac plura inseruit suâ historiâ ecclesiasticâ, in qua et refert, a se compositos fuisse duos libros, quorum unus erat de Martyribus Pælästinâ, in quo enarrat, quâ ipse oculatus testis viderat, audieratque de suâ regionis Martyribus. Hunc librum adhuc legimus tam in opusculis historicis Eusebii, quam in Collectione Ruinartiana. Alter vero liber, quem antiquorum Martyriorum collectionem nominat Eusebius lib. IV. Histor. Eccles. C. 14, et lib. V. Cap. 1. et 20. edition. Christophoroni Coloniens. 1581. integer ad nos pro dolor non pervenit. Ex hoc præclaro opere multa judicio Fabritii Bibliothec. græc. lib. V. P. II. pag. 101 superesse videntur in vitis Patrum latine sub nomine Hieronymi editis, et in Simeone Metaphraste, qui græco stylo sanctorum vitas, et Martyria edidit. \*) Fragmentum ex hoc opere Eusebiano dare se credit Papeprochius narrationem de decem Martyribus Ægypti, græce ex MSS. Vaticano cum Guil. Sirteti versione Tom. I. Act. Sanct. Junii pag. 420. seq. Sic acta S. Luciani apud Surium, et Bollandum ad 7. Januar, latine edita, \*\*) Usserius apud

\*) De Metaphraste Confer Ruinart. præfat. N. 8. §. I. pag. XLI. edit. augustan. 1803. curante B. Galura, et Honorat. a S. Maria loco citat.

\*\*) Cla. Ruinart Luciani passionem profert ex S. Joanne Chrysothomo. Vide admonitionem.

Caveum suspicatus est, Metaphrastes petiisse ex Eusebio. Integram ejus Martyriorum collectionem in Biblioth. Scoriacensi superfuisse affirmat Franciscus Bivarius ad Pseudo-Dextri Chronicon, ad ann. C. 308. Atque libros tres Martyrum Eusebii nondum de græco versos ibi extitisse, ex indice ejusdem Bibliothecæ anno 1579 didicit, et ad Baronium scripsit Lindanus, ut narrat Baronius in Notis ad Martyrologium 23. Septembr. Undecim libris constituisse illud opus tradit scriptor actorum S. Silvestri a Combefisio editus. Præclarum hoc Eusebii Opus referente Gerardo Casteel Duisburgensi Theologo tulit Cla. Josephus Assemanus, qui anno 1715 a Pontifice Romano in Syriam missus fuit, post Bienenium redux inter 150. MSS. codices tum syriacos, tum arabicos Romam sub titulo: Eusebii historia Martyrum occidentis syriace, anno 473 exarata, ut ex nctata æra antiochena apparet. Confer. G. Casteelii Diss. 21. de pluralitate Martyrum contra Dotwellum pag 212. Veruntamen cur judicio Casteelii calculum non adjicimus, autoritas persuadet Benedicti XIV, et Thomæ Mariæ Mamachii, cum ille in libro I. de Beatorum Beatificatione et Canonizatione, hic in antiquitatibus Christianis Tom I. lib. II. pag 471. Eusebii librum avide desiderent \*) Post

---

\*) De Eusebio bene meruit Cla. Marcellinus Molkenbuhur plurimis editis Dissertationibus. Nuperrime, nempe 1815 Jenæ edidit Diss. de Eusebio Cæsariensi Joan. Traug. Lebr. Danz.



Eusebium alii diversa fortuna collegerunt Martyrum acta; post quos tandem incredibili diligentia, et perdurata constantia sincera, et selecta acta collegit, ediditque Monachus Benedictinus Theodoricus Ruinart duobus Tomis Parisiis primum editis, postea saepius recensis. Legē Honorat. a S. Maria Animadversiones l. cit. Utor ego editione anno 1803. Augustä Vindel. curante D. Galura tribus Tomis in octavo constante. Edidit quoque anno 1748 Romä Acta Ss. Martyrum orientalium et occidentalium Cla. Stephanus Evodius Assemannus, Tom. II.

---

§. III.

Jnest Martyrum actis vis magna Probationis.

---

„Post sacras scripturas — verba sunt Cla. Ruinart  
 „Präfat. general. §. I. — quas divini spiritus af-  
 „flatu editas nobis reliquerunt Ss. Dei homines, ni-  
 „hil nobis sanctius, atque antiquius esse debet,  
 „quam primigenia, et genuina Martyrum acta, quä  
 „veneranda nobis antiquitas hactenus illibata ser-  
 „vavit. Cum enim ex divinis litteris (Marc. XIII.  
 „II.) habeamus, eorum dicta, cum ad präsidēs sis-  
 „terentur, superno instinctu pronuntiata fuisse, fit,  
 „ut ea, quä in his actis eorum ad präsidum quäs-  
 „tionēs responsa continentur, pro sacris oraculis me-  
 „rito habentur.“ Ex iis ergo recte discere licet,



quã ab incunabilis ecclesiã circa diversa dogmata fuerat disciplina pariter; et doctrina communis. Quam enim Martyres in suis ad præsides aut iudices responsionibus mira quadam sapientia solerent principalia religionis mysteria occultare; non raro tamen quãdam manifestant, quãdam explicant, quibus nostra dogmata dilucidantur, ac hodierna ecclesiã catholicã doctrina cum Apostolica mire conveniens demonstratur. *Propterea enim ea nobis sanctorum Martyrum corpora et acta usque ad tempus resurrectionis commendavit Deus*, ut S. Chrysosth. Homil. in Honor. S. Genesii ait: *ut maxime Philosophiã materiam, et occasionem haberemus.* Unde recte Author prologi ad acta Ss. Martyrum Saturnini Presbyteri et cãt., licet Donatista scribit apud Baluzium Miscell. Tom. II. pag. 56. edit primã parisiens. " Qui religionis sanctissimã fidẽ exultat, et „gloriatur in Christo, quiq; dominica veritate „det, errore damnata, ut ecclesiam catholicam te- „neat, sanctanque communionem a prophana dis- „cernat, acta Martyrum legat, quã necessario in „archivo memoriã conscripta sunt, ne sæculis trans- „euntibus obsolesceret gloria Martyrum, et damna- „tio traditorum.“ Immo ipsi gentiles hac persua- si veritate, nempe Christianos Martyrum actis, et passione in fide instrui, et ad victorias animari, non raro acta proconsularia igni tradiderunt, ne legi possent a sociis, et alumniis decollatorum. Prudentius lamentatur in Hymno de Ss. Martyribus Emetheriq; et Chelidonio;

○ *vetustatis silentii obsoleta oblivio!*

Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur.  
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,  
Ne tenacibus libellis erudita säcula  
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum  
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

Ad hoc etiam, ut reor, alludunt verba Arnobii libro 4to adversus gentes ad finem pag. 181. edit. Elmenhorst. 1603. „Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? cur immaniter conventicula dirui?“

Est quidem, quod scio, Martyres de singulis religionis nosträ articulis minime a iudicibus ethnicis fuisse quäsitos, et examinatos, nec ideo ergo pro iis mortuos; sed si inde concludere velis, nec ipsos universä religionis esse testes, toto cölo aberras. Etenim tanquam membra illius corporis vixerunt, quod est ecclesia, ejusque spiritu animati protulerunt tantum illa, quä acceperunt a capite et corpore universo. Fides eorum, fides ecclesiä catholicä, cujus filii erant, et confessores; hinc et ex dictis eorum et verbis doctrinam concipio ecclesiasticam illius ävi. „Dum Martyres manus suas ad cö- lum porrigunt, fidei, et devotionis exempla terris relinquunt, propagantes hominum vitam mortibus suis.“ Acta Ss. Martyr. Epipodii. etc. *apud Ruinart Tom. I. pag. 163. §. 1.* Qua de causa non raro particulares ecclesiä in rebus

dubiis ad judicia Martyrum adhuc viventium, ac in carcere constitutorum provocabant. Confer. Eusebius Lib. v. H. E. C. II.

---

#### §. IV.

Martyres in omnibus religionis articulis optime instructi.

---

Et eo gravior nobis appareat, necesse est, hæc argumentandi materia, quo certo certius constat, primos Christianos, ex quibus plurima pars pro fide mortem perpessi durissimam, in fide, omnibusque christianâ doctrinâ articulis optime fuisse instructos, \*) et ab omni erroris umbra maxime alienos. „Felices Christi discipuli, ejus secuti vestigia, per quem illis fuit concessa victoria; comitati etiam „doctrinam Apostolorum, et eorum Martyrum, quâ „Apostolos sunt secuti, quorum jam exutâ a labe „terrena animâ ad cœlestia regna properarunt.“ *Acta S. Philipp. Episc. Heracl. Tom. II. pag. 455. apud Ruinart.* Novimus præterea inter ipsos Martyres haud paucos *Doctores*, qui alios instruebant

---

\*) Confer. Th. M. Mamachii *Antiquitat et Orig. Christian.* Tom. III. pag. 246 et *Sitten der ersten Christen* Tom. I. pag. 146. — Quantum possunt, præexamina animos audire cupientium; ait *Origines* libr. 3. contr. Celsum.

in fide, \*) et ab errore suos arcebant, reprimentes falsos perversosque fabulatores; \*\*) haud paucos invenimus *Episcopos*, quibus officium pascendi gregem incubuit, ac alios inferioris Cleri; et si quosdam laicos, imo et juvenes et mulieres offendamus,

\*) Praxin Ecclesiä olim fuisse, quod Presbyteri plebem publice in religione instruerent, multis ostendit Cla. Holstenius in Notis ad Acta Ss. Perpetuä et Felicitatis. Porro in Actis S. Pionii Proconsul Presbyterum interrogabat: Tu præceptor eorum eras? Cui Pionius. Docebam. Rursus Proconsul: Stultitiä præceptor eras Respondit ille. Pietatis illius, quä ad Deum pertinet. S. Prudentius in Hymno de S. Cassiano hunc puerorum Magistrum nominat. Martyres Cantium, Cantianum, et Cantianellum a Pädagogo suo Proto valde fide catholica fuisse edoctos, eorum acta apud Mabillonium Liturg. Gallican. pag. 468. §. 2. referunt. In Actis Ss. Perpetuä et Felicitatis nominatur Aspasius, instructor Ss. Martyrum.

\*\*) Häreticorum superbiam, et improbam contumaciam retundebat (S. Montanus M.) contestans eos, ut vel de copia Martyrum intelligerent ecclesiä veritatem, ad quam redire debeant. „Jta in actis Ss. Montani et Lucii apud Ruinart Tom II. pag. 83. — Legendus et S. Jrenäus lib. 4. advers. häres. C. 64. fol. 267. edit. Basil. 1528. et Eusebius Histor. Ecc. Lib. v. fol. 90 et 91. — Justinus in Apolog. ubi Ptolomäus præceptor mulieris nominatur.

eorum earumque invicta constantia, apertissima tes-  
sera fundatâ scientiâ, et doctrinâ in religione  
erit. \*) Quis enim religionem tanti aestimabit, ut  
pro ea mortem subeat turpissimam ac sâvissimam,  
quam ignorat, ac cujus an justa injustave sint dog-  
mata, nescit? Martyres autem ipsi, ut singulis be-  
ne instructi essent doctrinâ verâ particulis, nonne  
sâpius conveniebant ad audiendas Ss. Scripturâ, ali-  
asque Christianâ disciplinâ scientias? Eusebius de  
Martyrib. Palästina. C. 8.

Sed et vera ecclesia, quod maximum nostrorum  
martyrum testimonium est, et a nobis summopere  
considerandum, nunquam in martyrum album retu-  
lit aliquem, de cujus fidei puritate ad evidentiam  
convicta non erat. Confer. Eusebius lib. V. C. 16.  
18. et Benedictus XIV. de Beatorum Canonizatione  
— Hanc in rem nitide loquitur Cla. Orsi Apologia  
pro actis Ss. Perpetuâ et Felicitatis pag. 88. — „Non  
„erant patres in rebus fidei subodorandis adeo obe-  
„sis naribus, ut non statim bonum Christi odorem,

---

\*) In universum vos scire convenit, vi-  
ros et mulieres, juvenes et senes,  
puellas et anus, milites et privates ex  
omni denique hominum genere, et äta-  
te . . . in certamine coronas retulisse.  
S. Dionysius, Alexandr. in Epistol. ad Domitium,  
et Didymum quam refert Ruinart Tom. I. pag. 401.  
Confer. quoque Eusebius lib. 8. hist. eccles. de  
Martyribus sub Diocletiano.



„et cölestium charismatum fragrantiam ab häreticarum fabularum, ineptiarumque foetore discernent. Non modö nullus ostendi potest häreticus martyr, quem pro catholico patres coluerint; sed neque etiam ulla catholicorum martyrum acta häreticis fabulis, erroribusque inquinata, quorum ad fidelium ädificationem publicam in ecclesiä lectio- nem esse voluerint.“ Jimmo si quädam Martyrum acta ab idiotis conficta cereret ecclesia, ipsa tanquam falsa intrumenta statim igni tradenda defini- vit; Exemplum prästat Canon 63. Synod VI. Constantinop. apud Binium Tom. III. P. I. fol. 246. secundä edition. — Probe enim scivit mater Ecclesia, laudem Martyris, laudem Dei esse, ut S. Prudentius in Hymno de S. Felice canit:

. . . Tui laus Martyris et tua laus est,

Qui facis omnipotens homines divina valere.  
nec figmentis, sed veris historiis et actis ädificandos esse filios. *Armantur enim*, ut Eucherius lugdun. in homil. de S. Petro et Paulo ait, *filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi*. Lege et Baronium tractat. de Martyrolog. Roman. C. II. Vide quoque Ambrosii textum in limine hujus Epistolä citatum.

---

§. V.

Actorum vis magia confirmatur.

Quodsi porro systema eorum, qui nostram ecclesiam vocant erroneam, suamque reformatam, super-



stitiosam nostram, suamque puram, accuratiori perpendamus oculo; profecto primorum martyrum acta clare in favorem nosträ decidunt ecclesiä, in perditionem vero sic dictä reformatä. Concedunt enim hi adversarii tribus quatuorve säculis eeclesiam catholicam ab omni erroris macula adhuc immunem fuisse, posteriorem vero maximopere vitiatam. Audiamus Schroekium in sua historia religionis Präfat. §. XXIII. pag. 25. edit. 4tä. Prima Periodus a Christo nato ad Constantinum M. ab anno ärä vulg. I. ad ann. 306. producta, sinceram et maxima sui parte incorruptam sistit religionem christianam, dignosque ejus sanctitate plerosque, qui eam profitebantur. Nam auctoris illius inter homines acta, doctrinam, et monumenta; discipulorum ejus integerrimorum ex hoc fontè manantia decreta, et libros; reliquorum Doctorum ejusdem religionis studium, ad horum fidem omnia referendi; religionis hujus admirabilem in emendandis mortalibus vim, et in tolerando hostium impetu invictum robur; simplicitatem cultus divini publici, et cäremoniarum paucitatem; errores sane a quam plurimis, inprimisque gnosticis, in hanc religionem illatos; sed facile ipsa Christi, et Apostolorum voce, atque manentibus litteris, rejectos; pigmenta quädam, et opiniunculas ab ipsis quidem hanc vocem reverenter habentibus doctoribus religioni christianä ornatus causa additas; sed libenter tamen auctoritati sacrarum litterarum postpositas; crescentem satis horum doctorum dignitatem, nondum tamen dominationi similem;

difficilia Christianorum tempora sed tanto virtutum feraciora; vitia autem, in quã subinde delapsi erant, severiore ad religionis imperium quasi reditu cito correctã, exponit. Hucusque Schröckius. Quãcunque igitur Syllaba, quãcunque particula, quam pro nostris Ecclesiã catholicã dogmatibus loquentem invenimus in actis Martyrum et decidentem, nobis pretiosior auro, et argento amanda, colligenda, et producenda.

---

#### §. VI.

##### Rectus usus præscribitur.

---

Verum enimvero vis hæc probationis licet sit tam magna, tam efficax, ut quemque prudentem virtute sua trahere possit ad assensum; æqua tamen lance a viro theologo ponderanda semper erit. Oportet enim ut antequam ex actis Martyrum quid contentiosum probare intendat, ad crisis, omnium scientiarum magistram confugiat, ne dum sine delectu eligat, pro veris actis fabulas proferat risu dignas.

a) Präprimis ergo agendum, quãrendumque, an acta, ex quibus probatio instituenda, sint genuina, sincera, et pura, exacta ad regulas, quas critici præscribunt saniores a nimia credulitate tam alieni, quam a temeraria audacia, aut passione malesana.

Sicut enim in ejusmodi criticis disquisitionibus nihil longius abjiciendum, quam nimia credulitas, celeri nos pede alliciens, hęc, quę in nostrę causę patrocinium loqui videntur, sine discrimine ut admittamus; ita et declinandum nihil magis, quam temeraria audacia nihilque vehementer timendum, quam fermentum passionum, aut pręjudiciorum, illuc ut plurimum nos adducens, ut vel omnino negemus, vel saltem in dubium revocemus, quod de se est certissimum. Prima ergo regula sit: *Acta probato, et genuina proferto.*

b) Sed et in ipsis genuinis actis quędam caute secernenda. Verba, et acta Martyris nempe, a verbis et gestis judicum aut aliorum. Judices a nostris disciplinis alieni plerumque christianorum doctrinas ex falsis rumoribus metientes et dogmata omnino ignorantes vel ex malitia martyribus et confessoribus falsa quędam imputarunt, vel ex inscitia interrogarunt alia, aut protulerunt nostris omnino incognita, aut ab ipsis rejecta, et damnata. — Qui ex actis S. Martyris Pelagię apud Ruinart Tom. III. pag. 203. probare vellet, actionem de re sua christianis non licuisse apud judicem ethnicum instituere, aut cum aliis civibus quidquam habere commune, profecto erraret, aut deciperet, cum hęc non sunt verba Martyris, sed adversarii, aut Ethnicę advocati.

c) Ātas passionis, et conditio Martyris bene perpendenda, ne illud, quod hac Ātate abominandum

et illicitum a christianis iudicatum, generaliter semperque illicitum omnibus pronuntietur, vel quod illis diebus licitum acta dicunt, aliis aetatibus pariter licitum affirmetur. Perperam ergo ex actis S. Marcelli centurionis apud Ruinart Tom. II. pag. 214. et S. Maximiliani ibidem pag. 209, item Ss. Tarachii et c. M. Tom. III. pag. 12. concluderet quis, militare sub ethnicis imperatoribus generaliter christianis prohibitum fuisse. Constat enim ea aetate, nempe sub Diocletiano, militibus graviter praecipum Diis ut sacrificent. „Datis ad praepositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia praecipit,“ ait *Lactantius de morte persecutorum* C. 10. Et S. Marcellus aiebat: Si talis est conditio militantium, ut diis, et imperatoribus sacra facere compellantur: ecce projicio vitem, et cingulum, renuntio signis, et militare recuso. \*) Proferam et aliud ex actis Ss. Martyrum Lugdunensium. S. Alcibiadi M. in carcere constituto abstinencia a Deo prohibetur. Quis inde inferret, ergo abstinencia mala est: erronee enim S. Martyr iudicabat, cibos illos fuisse illicitos, unde aliis scandalum dedit, malumque exemplum, ut Eusebius scribit. E contrario S. Dionysio alexandrino iubetur, ut libros perversos, et

---

\*) De militia primis christianis licita erudite disserunt Cla. Mamachus Tom. I. Antiquit. lib. II. pag. 374. et J. Lamius de Eruditione Apostolor. Tom. I. pag. 195 edit. secundä.

hæreticos legat, et omnia, quæ ad manus ejus venerint: Historiam narrat Eusebius lib. VII. Hist. eccl. Cap. 6. fol. 124. edit. Christoph. ex Epistola Dionysii ad Philemonem presbyterum. " Equidem tamen hæreticorum libros, et traditiones perlegebam, et meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodam modo inquinare videbam: hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modo eos interiori animi mei cogitatione condemnarem, ac refellerem, sed multo vehementius in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero Presbyterorum me vetaret, deterreretque a legendo, ne turpi pravitate, et perversa eorum doctrinâ cõno contaminarer, cumque vera meo quidem iudicio diceret, visio quãdam cõlitus ad me demissa, me confirmavit, et vox ad aures collapsa, manifesto præcepit ad hunc modum; omnes libros, quos sumis in manus, evolve sedulo. Nam satis habes virium et firmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda. Atque hæc causa cur in initio ad fidem Christi vocatus fueris." Quis autem ex his inferret, librorum perversorum lectionem omnibus iudicio Dionysii licitam, imo ad fidem stabiliendam apprimè aptam? Primo enim S. Dionysius cõlitus data declaratione capax approbatur, et ab omni perversionis periculo immunis; nunquam enim, ut recte Sixtus Senensis Biblioth. S. Tom. II. omnino, prorsusque prohibitum fuit, ne hæreticorum scripta legerentur, sed ne sine Majorum concessione lege-



rentur. Deinde Martyris Dionysii conditio bene attendenda: Episcopus enim, ut canon habet 16. Concil. Carthag. IV. häreticorum libros pro necessitate, et tempore legat. Tandem ex his potius contra novissimum quemdam cavillatorem inferrem: ab incunabilis ecclesiä lectio librorum perversorum ab ecclesia prohibita. Quomodo enim Presbyter vetare potuisset Dionysio, si res ab ecclesia minime rejecta, communiterque prohibita.

De Potestate ecclesiä libros prohibendi, integrum articulum habet Lucius Ferraris Tom. IV. pag. 651. et Bellarmin. lib. 3. de Laicis C. 20.

d) Ex actis non plus concludendum, quam quod clare in iis continetur. Sic quisquam male instrueret argumentum ex actis Ss. Fructuosi et c. M. apud Ruinart Tom. II. pag. 48. et Ss. Montani et c. M. ibidem pag. 79. pro subdiaconatu tanquam *Sacramento*. Licet enim ordinis subdiaconatus veteres säpius meminerint, nunquam de ipso, tanquam sacramento loquuntur; prätereä in actis Ss. Fructuosi loco subdiaconi Juliani alii codices legunt *Diaconum*, et Herennianus subdiaconus in actis Ss. Montani associatur minorum ordinum clericis, et Catechumenis, et Acolythis. Meo quoque judicio quidam ex verbis Lucii Cäcilii vel Lactantii de mortib. persecut. C. 12. *Simulacrum Dei quäritur*, male inferunt, primäva in ecclesia usum imaginum ignotum fuisse in templis; juxta Minu-



tium Felicem enim in Octavio intelliguntur *nota* (gentilibus) simulacra.

e) Aliquoties actis genuinis quãdam a posterioribus adjecta sunt, quã si cognoscantur, parvã, aut nullius sunt autoritatis. Exemplum invenimus in actis Ss. Saturnici et c. M. quibus prologus et epilogus a Donatistis addita sunt; neglexit et hãc Ruardt, leguntur autem apud Baluzium Tom. II. Miscellan.

f) Acta sive sint a notariis ad id opus constituta, sive a martyrum sociis, aut passionum testibus oculatis, sive ab ipsis martyribus conscripta et composita eadem in rebus dogmaticis in sese habent probationis autoritatem. Quã enim apostolicã aetatis viguit fides, et doctrina, quãnam Christianorum disciplina, testimonium afferunt authenticum. Illa autem, quã posterioribus annis conscripta, tantum in se continent probationis quantum autoritatis ipse author, nisi tabulas publicas, et testimonia authentica proferat, quã tunc tanto majorem in se habent probationis vim, quanto simpliciora, et antiquiora hãc sunt. Huc pertinet \*) statua

---

\*) Licet sæculi IV. scriptor Eusebius primo hujus statuã meminerit; clarissime tamen patet, hoc monumentum sæculis anterioribus debere, etsi ejus originem ignoremus. Vana sunt, quã contra hoc integra Dissertatione, quã habetur in ejus Silloge Dis-

Christi, quã Paneadi habebatur referentibus Eusebio, Sosomeno aliisque, quamque Julianus perturbavit. Insuper et picturã publicã, de quibus Aste-

---

sertationum Bremã 1731. editarum N. VI. pag. 314, disputat Theodorus Hasäus post Dalläum, Basnagium, Reischium. Etenim nec defuit potentia ejusmodi statuum erigendi, nec denegari potest licentia. Licet hæc mulier, ut Ss. Evangelistã Marcus, et Lucas testantur, erogaverit omnes facultates suas in medicos; inde non concluditur a) nihil omnino ex suis substantiis superfuisse. Etenim hæc allegorice dicuntur ad significandum incurabilem morbum, et adhibitam operam. b) Aut nihil postea acquisivisse, c) aut ipsam mulierem propriis sumptibus hoc monumentum erexisse — Deinde licentiam adstruit ipsemet Eusebius, addens: nec plane mirum, eos, qui ex gentilibus prognati, a servatore, dum inter homines vivebat, beneficiis affecti fuissent, ita effecisse. Fors statua hæc erecta est tempore Tiberii, qui Christum inter Deos cooptari petiit. Vide et Theodor. Hasäum Diss. de decreto Tiberii, quo Christum referre voluit in numerum Deorum. Erfurth 1715. Assignavit quoque teste Lampridio in Vita Alex. Sever. C. 29. Alexander Severus locum Christi imagini in privato penatum delubro inter reliquos Deos, et Adrianus templa in honorem Servatoris dicari sustinuit. Quidni ergo ad privatam domum statuam talem erigere quis potuit, præsertim cum

rius Amas. in passione S. Euphemiä; porro passio S. Saturnini Episc. Tolosani apud Ruinart Tom. I. pag. 300.

His ut opinor, regulis neque critici optimi calculum suum denegabunt, neque probationem juxta has institutam improbare audebunt.

---

in Edessena civitate Religio floruerit, nec persecutionum procella tam dire sävierit. Confer Mamachium Tom. II. antiquitat. et Origin. eceles. C. II. pag. 94. Quid? si Macario referente ipse Abgarus hanc statuam jusserit erigi? — Ridiculus adhuc magis est Hasäus, cum probare studeat, hanc statuam fuisse Hadriani Imperatoris; Certe Vir ille non attendit, Imperatorum statuas non ad privatorum domos erigi solere; multo minus ipsam statuam hoc in casu a Juliano Apostata fuisse deturbatam et a Christianis ejus reliquias collectas, et in templum translatas. Sed ad quid tanta studia, contortä interpretationes Hasäi? Quia Latini in hac statua, ut Nicol. Nonnen, editor Sillog. Hasäi scribit, insigne antiquitatis monumentum pro Ss. imaginibus sibi invenisse visi sunt.

## §. VII.

Apud Theologos dogmaticos nondum satis notus.

---

Quæres interim, si tam firmum, tam nobile genus hoc probationis in Dogmaticis prædicetur, cur Dogmaticorum facile principes hoc tam parum utuntur? Cur tam raro ad acta Martyrum provocant? Dicam. Cum nondum primorum Martyrum acta rite in unum collecta, nec genuina a falsis, sincera a supposititiis aut fabulosis critice disjuncta, difficillimum sane erat argumentum, ex fontibus haurire incognitis, vel incertis, aut haud limpidis. Et licet rarum, non tamen omnino inusitatum, ut asseritur, apud nostros hoc genus argumentationis. Si desideres, exemplis demonstrabo assertum. Celeb. Dionysius Petavius, Theologus in arte critica, et in rebus dogmaticis facile Princeps quoties non provocat ad acta Martyrum, quæ vel in sermonibus Ss. Patrum invenerat adducta, aut integra, et sana cognoverat antiquitatis documenta. Frequentior est Laurentius Berti quia junior, in suis de disciplinis theologicis eruditis libris. Quid de eruditissimo dicam Cardinale Baronio? Primus est, qui illud argumentandi genus invenit, usurpavitque in suis ecclesiasticis annalibus, ut ipsi nostrâ doctrinâ adversarii ecclesiæque extranei fassi sint, plus ipsis nocuisse Baronium suis annalibus, quibus antiquos

inseruit ritus, quam doctissimum Bellarminum suis controversiarum libris. Verba ejus, ubi de actis agit, digna censeo, quã hic conscribam. „Ex unius provinciã, ait Tom. III. edit. Lucens. ad ann. 262. N. 35. — actis martyrum, quã sunt in totius orbis ecclesia, exantlata Martyria, consummata certamina, auctã victoriã, coronã additã, erecta trophea, (tradita dogmata,) ãque meditari licebit; ipsiusque ecclesiã pulcherrimã faciei, instar cõli, hisce semper vernantibus, aut fulgentibus astris ornatã aspectu jucundissimo frui. Hoc igitur consilio quãdam interdum acta Martyrum nostris annalibus intexere consuevimus, quã eo ipso tempore, quo gesta sunt fidelissime scripta esse cognovimus.“ Hãc ille. Liceat tamen nobis, hoc dulci enarrationis lacte paulisper ad horam recreari, antequam solidiora percipiamus alimenta, filumque jamjam incõptum trahere longius. Neque Cla. Mabillonius genus hoc Demonstrationis renuit in suis operibus, imo nec in libro de studiis monasticis, ubi P. I. C. 15. pag. 184. edit. Viennensis ex actis S. Luciani M. suum intendum probare feliciter haud ignorat; Porro eruditus Martinus Harney Theologicã facultatis lovanien. Doctor ac Professor regens Ord. Prãdicat. egregie ex actis Ss. Martyrum contra D. Antonium Arnaldum ostendit, Ss. scripturam linguis vulgariibus promiscue minime legendam. (De Scriptura linguis vulgaribus legenda rationabile obsequium Belgii catholici. Lovanii 1639.) Utinam et nostrĩ



coätanei, promiscuam lectionem debacchantes legis-  
sent D. Harney. — Sed unde curreret narratio,  
si de Muratorio, Natali Alexandro, Paciaudio in  
antiq. cultus S. Joann. Bapt., si de Orsio, Lamio  
florentino, Antonio Zaccaria \*) celeberrimo Italiä  
Jesuita, et de Th. M. Mamachio pluribusque aliis  
dicerem? Nec saniores Protestantium Theologi re-  
cusant hanc demonstrationis materiem, si attendas  
Fabritios, Gerardos aliosque. Sed tempus est vela  
retrahendi, ne dum dulcibus variemur otiiis, negli-  
gamus utiliora, quä ad divina dogmata demonstan-  
da prästant ipsa acta.

---

#### §. VIII.

Ex actis Martyrum collectä reliquiä pro libris deutro-  
canonicis.

---

Qui antiquis ecclesiis catholicis fuerit sacrä scrip-  
turä canon, quique libri reputati fuerint canonici,  
ab primävä ätatis viris, testibusque edocendum

---

\*) Cumprimis Theologe commendabuntur acta primo-  
rum Martyrum sincera, et electa, quä collectore  
Theod. Ruinartio post Parisinam 1689. et Amstälod  
1713 editionem Veronä prodierunt 1731. Utinam  
quemadmodum gallice interprete Drouet de Mau-



esse, nemo prudens negabit. „Interrogo autem vos,  
 „qui ista inter apochryphas litteras exvolanda cen-  
 „setis, per quos constat canon scripturarum omnium  
 „divinarum? Numquid per eos, qui pro ipso canone  
 „occidi magis optaverant, quam vinci? Quid ergo  
 „tensuerunt Martyres? Fidem rectam, quã sacris  
 „voluminibus certo librorum numero continetur.  
 „Agunt illis gratias apices sacratissimi, qui per eo-  
 „rum perseverantiam perseverant. Et ideo volunt  
 „eorum gesta [conscribi, ut in conspectu Dei, et  
 „hominum semper laudentur sancti, qui in conspec-  
 „tu incredulorum pro eorum defensione tormenta  
 „immania pertulerunt. Nihil præter scripturas ca-  
 „nonicas recipientes, ista studiose conscripsimus,  
 „ostendentes dogma catholicum per catholicos Mar-  
 „tyres custoditum. Ita acta Ss. Cantianorum apud  
 Mabillonium Liturg. Gall. pag. 467. Ex actis igitur  
 Martyrum illas reliquias, quã pro nostris sic  
 dictis libris Deutrocanonicis loquuntur, colligam,  
 quasi qui colligit acinos post vindemiatores (Ecclesi.  
 C. 33. V. 16.)

Ante omnia sedula mente annotemus, antiquos  
 Clericos ita diligenter in sacris scripturis fuisse ver-

---

pertuy Parisiis 1708 recusa sunt, ita apud nos ita-  
 lice redderentur. — Apparatus Omnig. Erud. ad  
 Theologiam univ. opera Franc. Ant. Zaccariã. pag.  
 394. C. 12. edit. august. 1783.

satos, et domesticos, ut fere memoriter omnes libros recitare de verbo ad verbum potuerint. Plurima Exempla adfert Eusebius in libro de Martyribus Palästina; in actis quoque S. Philippi Episc. Heracl. apud Ruinart. Tom. II. pag. 440. legimus. „Etsi omnes scripturas nostras, dire inquisitor! acceperis, ut nulla prorsus in orbe terrarum vestigia verä hujus traditionis appareant; posteri tamen nostri et paternä memoriä, et suä animä consules majora voluminum scripta conficiant.“ Laici quoque, imo et mulieres tam attenta mente factas in conventibus et ecclesiis lectiones ex scriptura sacra audiebant \*), ut ipsis quotidianus esset cibus, librosque legis speciali quasi adoratione colerent. Hinc Saturninus Proconsul dixerat S. Martyri Sperato: Qui sunt libri, quos adoratis legentes? Speratus respondit: quatuor evangelia Domini nostri \*\*) Jesu Christi, et epistolas S. Pauli apos-

---

\*) Magnopere angebamur, quod non poteramus nocte, ac die illis (sacris lectionibus) operam dare, sicut a principio consueveramus usque ad annum superiorem, quo et illa scripta occultavimus. Acta Ss. Agape, Chionia et Irenes apud Ruinart Tom. II. pag. 405.

\*\*) Quam false ergo scripsit in Synesio. pag. 12. Christ. Lud. Paalzow. bis zur nicäizer Kirchenversammlung im Jahr 325. hatten alle Evangelien, deren über fünfzig waren, und von welchen einige zum Theil ganz,

toli, et omnem divinitus inspiratam scripturam.“  
Acta proconsularia Martyr. Scyllitanorum de anno  
200. apud Ruinart. Tom. I. pag. 190. Hęc interim  
ad laudem Majorum, pudorem nostrorum per tran-  
sennam prämittentes ad proposita transeamus.

Occurrit primo S. Pionius, passus anno 250,  
in cujus sermone tot margaritä, quot verba, tot  
pro nostris libris argumenta, quot ex his citat com-  
mata. Erat ipse vir sane doctus in Philosophia, et  
in historia tam profana, quam sacra, ut ex ejus  
sermone ad Polemonem colligere licet; transgressus  
enim omnem judäorum terram cuncta perdidicit,  
unde säpius ad profanos scriptores \*), säpius ad  
judaicos provocat, eosque citat.\*\*), „Vos autem judäi

---

zum Theil in Fragmenten, zum Theil auch nur dem Ti-  
tel nach auf uns gekommen sind, bald mehr, bald weni-  
ger Ansehen. —

\*) Hoc te historiarum — ajebat S. Martyr ad Ruffi-  
num Oratorem — tuarum volumen edocuit, hoc  
codices tui monstrant? Atque hęc ab Atheniensi-  
bus sapientissimus Soerates ille non pertulit. An  
insipientes erant, ac militari stultitiä ac bellis po-  
tius, quam legibus nati, Socrates, Aristides, et  
Anaxarchus, in quibus quo major doctrina, eo  
major facundia.“ Acta S. Pionii apud Rui-  
nart. §. 17. pag. 342.

\*\*) Vos viri, qui exultatis pulchritudine moenium,  
et Smyrnä civitatis decore gaudetis, et Homero

„decuerat Moysi obedire præceptis, qui ait: *inimici tui animal si ceciderit, oportet te prius levare, quam transeas.* Pari quoque sententia, et simili „Salomon oratione significavit: *Inimico cadente non exultes, nec aliena felicitate te jactes*“ „et non multo post: „Recitent vobis codicem iudicum, regum, exodum, et cætera, quibus vincuntur, ostendant.“ \*\*) Sed præprimis nobis consideranda

---

poeta gloriâmini, et si qui vobiscum ex judæis adsunt, vos alloquor — ibidem §. IV. pag. 326.

\*) Hos textus a martyre e memoria recitados fuisse apparet, unde haud mirum, hos cum nostra vulgata non concordare quoad verba. Primus textus ex Deutr. XXII. 4. depromptus, alter autem ex Proverb. XIII. 17. — Cum Joannes Clericus in Judiciis theolog. Batav. de Histor. critic. Richardi Simonis Tom. V. Epist. 12. dubitat, an Proverbia Salomoni inspirata more prophetico; Ipsum citatus Martyris textus refellit; Proverbia enim cum libro v. Moysis conjunguntur. In actis S. Ignatii et Ss. Montani aperte Deo ipso adscribuntur. Dicebat etiam Deus. Cum cor regis in manu Dei sit. Quâ verba legimus Cap. XXI. Proverb. I. In passione S. Gordii citatur quoque author Proverbiorum tanquam Theophneustus.

\*\*) De Excidio Sodomæ et finitimarum civitatum præclare disserit S. Martyr. „Vidi terram, quâ excidio suo iram Domini testabatur propter id, quod peregrinos aut exstinguebant humanitatis im-

est oratio, quam carcere, non lingua ligatus, eloquentissimus Martyr habuit ad lapsos. „Novum suppliciorum genus patior, et ita excrucior, quasi videam me devulsa membrorum compage lacerari, cum aspicias Margaritas ecclesiä porcorum pedibus subjacere, et stellas cöli Draconis cauda usque ad terram fuisse pertractas; vitem, quam Dei dextera plantaverat a sue unico dissipari, et ut transeuntem unumquemque suaserit libido, decerpi... Nunc Susanna in medium constituitur ab iniquis, impiis circumvenitur a presbyteris, et ut fruantur pulchritudine, mollem formosamque denudant, falsa in eam testimonia corrupta illicitatione dicentes. Nunc Aman increpat, et epulatur, nunc Esther, et tota civitas turbatur, nunc fames et sitis, non panis, aut aquarum penuria, sed persecutione.“ Plura alia et graviora locutus Pionius, sed häc ad nostrum sufficiant scopum. Primo ex hac oratione

---

memores, aut percurrentes in sexum viros muliebria pati jugulato hospitii jure cogebant. Vidi terram vi divini ignis exustam, et in cinerem favillasque conversam, omni humore, et fertilitate viduatam. Vidi mare mortuum, et ob timorem Dei naturam mutatam ferventis elementi. Vidi aquam nec alendis, nec suscipiendis animantibus obsequentem, hominem quoque sicut susceperit et jaectantem; ne iterum propter hominem aut crimen incurrat, aut poenam.“



historia Susannā egregie confirmatur, quā a quibusdam etiam nostrā aetatis tanquam pia fabula antiquis patribus haud probata rejicitur. Profecto bene novit eam Pionius, et illam tanquam e codice desumptam sacram historiam judaïs, quos alloquitur, cognitam præsumpsit. Nonne ipsi respondere potuissent judai: fabulis nos cibus? Quo animo ipsos ad Ss. litteras misisset, si hęc, quā produxerat Martyr, minime in iis contenta invenissent? *Revocate in memoriam, quā audistis*: ajebat S. Martyr Sed et additamentum Estheris ipsi [Martyri et adstantibus judaïs notum hisce probari posse reor. Quibus, repones, instrumentis? Fors quia de Aman et Esther sermo est. Id si judices, non quidem erras, sed unicum id non est, quod me urget. Plura dicam. Draconis cauda cœli stellas usque ad terram fuisse pertractas, eadem linea memorat Pionius. Ad quod hisce alludit S. Vir memoriter recitans verba sacra? Nonne ad Somnium Mardochei, qui C. X. 7. et XI. 6. Dracones vidit contra se pugnantes. Draconis (Aman) cauda omnes judaôs, ipsamque regii cœli stellam — reginam Esther — ad terram usque protractam narrat Caput XII.... Hęc et plura alia ex hebraicis codicibus se habuisse, testatur ipse S. Martyr. "Repetam, quā judai sapius, me in prima aetate posito, disserebant." Ubi et de Pythonissa in Ender, a qua fictitie Samuelem prophetam resuscitatum esse docet.

His similia invenimus in actis S. Philippi Episc. Heracl. apud Ruinart Tom. II. pag. 453. ubi S. Severus Martyr post longas effusas preces inter alia ad Deum loquitur. „Qui auxilio fuisti tribus pueris in camino, quos sancto [majestatis tuä] rore perfusos flamma non attigit; qui leonum ora clausisti, vitam Danieli, et cibum tribuens; qui Jonam nec maris profundo, nec morsu ceti crudelis exceptum lädi passus es, aut perire; qui [Judith] armasti, qui liberasti Susannam a judicibus injustis; qui Hester gloriam dedisti, qui Amam perire jussisti etc. Porro in passione S. Cypriani laudatur incomparabilis Tobiä pietas, quä in libro S. Tobiä describitur; ex quo concludimus librum istum dubio absque S. Martyri tanquam canonicum notum, et acceptum. Plura tamen de S. Joannis Apostoli Apocalypsi dicere possumus. Hanc tanquam scripturam divinitus inspiratam citant säculo secundo Martyres Lugdunenses, *ut impleretur scriptura, quä dicit: iniquus adhuc inique aget, et justus adhuc justificätur.* Quä ex Cap. XXII. 11. desumpta novimus. Häc quoque invenies citata in actis Ss. Victoris aliorumque Massiliensium Martyrum. Imo S. Martyr Saturninus quädam ex Apocalypsi deprompta Servatori nostro adscribere minime dubitat.“ *Idem [sub prophetali voce testatus est... Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, qui laverunt stolas suas in sanguine agni: Quä versu 14. ejusdem Cap. XXII. leguntur.*

Epistolam ad Hebræos non solum citant S. Martyres sub Diocletiano [passi tanquam divinam, sed et eandem clare sancto Apostolo Paulo adscribunt, cum ex Cap. XII. verba proferunt. „*De qua loquitur Paulus: accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cölestem.* Hanc et græce scriptam fuisse, testatur S. Martyr Phileas apud Ruinart. Tom. III. pag. 159. „*Culcianus dixit: Paulus syrus erat? Nonne Syriaca disputabat? Phileas respondit: Non, Hebræus erat, et græce disputabat.*“ \*)

Hæc omnia mirifice nostrorum librorum deutrocanon. antiquitatem et divinitatem demonstrare nemo non videt, ita ut in vanum hoc in puncto aliqui Heterodoxi ad silentium veterum provocant.

---

\*) Totum novum testamentum græco idiomate fuisse exaratum, probabilior habet sententia. De Evangelio [S. Matthæi, et Epistola Pauli ad Hebræos quidam dubitant; sed et Hebræis linguam græcam tempore Christi vernaculam fuisse, erudita diss. ostendit Clarissimus Musei antverp. præfectus Weckhauf Recollectus: *De lingua græca Jesu Christi, et Apostolorum, ætate vernacula.* 1783. Similem sententiam tenuit Dominicus Deodatius Neapolitanus: *De Christo Hellenista Exercitatio*, qua ostenditur, græcam linguam Christi ætate propriam, et vernaculam judæis fuisse etc.

Sed de hoc nostri Canonis Apologistä \*) longiori stylo agere idque erudite, scimus. Nos acinos colligimus, non vindemiamus.

---

### §. IX.

Patrum anti-nicänorum fidem de Ss. Trinitate eandem fuisse, quam Post-nicänorum, ex actis legitime probatur.

---

Tres in divinis unum esse, multoties pronuntiavit ille, qui e sinu äterni patris prodiens caro factus est, ut mortalibus communicaret cölestia. Incomprehensibile hoc divinitatis mysterium Apostoli, primique ecclesiä antistites tanquam creditivum Missionis signum, fideique iniciativum habentes

---

Latinä Linguä tamen favere videtur Cla. Molkenbühr in opusculo contra Vaness edito: Die Bibel.

\*) In I. Parte supplement. Histor. Eccl. Natal. Alexandr. extat Apologia doctissimi ejusdam Galli pro libris Deutrocanonicis — Triplicem dissertationem de Canone Ss. Scripturä edidit in univers. Heidelberg. Jos. Kleiner — Singularem Statleri, et Mayeri de hisce libris opinionem refutavit Ladisl. Sappel: Serpentes errores aeleri pede contriti etc.

tradiderunt posteris, a quibus hodierna accepit Ecclesia, docens: tres esse personas divinas in una natura, et essentia. „Deus Pater enim — ut nitide explicatur in actis Ss. Martyrum Pauli, Pansii et c. M. apud Ruin. Tom. III. pag. 290. — Haud sustinens continere filium, dedit descendendi pro-  
 „missionem; nec filius iterum descendere pigritatus  
 „est ad carnem, sed hac indutus prædicabat prius  
 „Patrem Deum, deinde semetipsum Dei filium do-  
 „cebat, ac postremum justitiâ verbum vocibus, et  
 „doctrinis prophetarum confirmavit, quem nec ipsi  
 „sine ipsius adspiratione vociferati sunt.“

Extiterunt homines hanc apostolicam hæreditatem perturbantes, falsisque opinionibus, seu potius cavillationibus Sanctam de divina Trinitate doctrinam labefactantes maluerunt hujus originem ex veterum Philosophorum deducere schola, quam eam a Dei filio revelatam asserere. Horum catalogum texere videmus Doctis. Petavium, Cla. Joan. Lamium de recta Patrum Nicænorum fide. Florentiâ 1770. C. ult., Stephan. Wiest. Tom. IV. pag. 254, aliosque quam plurimos; imo dolenter referimus inter ipsos verâ fidei cultores reperiri haud paucos, qui arbitrantur, Ecclesiâ anti-nicænâ fidem circa Ss. Trinitatis mysterium diversam fuisse ab hodiernâ ecclesiâ doctrina, et quod majus est, nonnullos, præsentim ex classe illorum, quos mater ecclesia filios vocat extraneos, affirmare, tres personas vel



esse a monachis confictas \*) vel tantum pure puta  
 imaginarias \*\*) et ante äram Synodi Nicänä nullis  
 cognitäs, aut nominatas. Seminiverbii hi suos no-  
 verunt adversarios, sicut Ecclesia catholica suos apo-  
 logistas, et häreditas apostolica suos hyperaspistas.

\*) Man kann die Dreieinigkeitslehre, als eine neue, unge-  
 gründete, und vernunftwidrige Lehre ohne Bedenken aus  
 dem Religionsunterrichte entfernen: schreibt Kannabik  
 Kritik alter, und neuer Lehren der Christl.  
 Lehre 1799. und Oliger Pauli sagt: Die drei  
 Personen sind in dem Nicänischen Konzil erst von den  
 Pfaffen erdichtet worden. — Man darf auch nur den  
 Verfasser des Buchs: die Möncherey, oder geschichtl. Dar-  
 stellung der Klosterwelt. Stuttgart. 1819. lesen, der den  
 Mönchen alle Last aufbürdet.

\*\*) Es müßte jemand ein Ignorant seyn — schrieb Semler:  
 ausführliche Erklärung über einige theologische Aufgaben.  
 Halle. 1777. — Der gar nichts von theologischer Ge-  
 lehrsamkeit versteht, wenn ich ihm erst beweisen wollte,  
 daß Trinitas des vierten Jahrhundert nicht Trinitas  
 der Scholastiker, und der nachherigen Theologen  
 sey. — Wie sehr sich schon die Sophisterei in die einfa-  
 chen Lehren der Apostel mischte, beweiset das nicäische  
 (Athanassianische) Glaubensbekenntniß, wo die einfache  
 Lehre vom Sohne Gottes folgenden Zusatz erhielt: De-  
 um de Deo, Deum verum de Deo vero, genitum  
 non factum consubstantialem patri, per quem om-  
 nia facta sunt. etc. — Joseph Muth: Ueber das Ver-  
 hältniß des Christenthums u. zur Vernunftreligion. Ha-  
 damar 1818.

Solus sufficeret nobilis Jesuita laudatus Dionysius Petavius, libris pluribus de Trinitate agens, nisi quādam minus recta de aliquorum Patrum antinicānorum sententiis intermiscuisset. Lacunam hanc rearsit et supra citat. Florentinus Theologus J. Lamius egregie percutiens J. Clericum, scriptorem Batavum, qui et a Cla. Laurentio Berti lib. 8. de discipl. theolog. castigatus. Alios præterire fas erit, cum minime in votis habemus, litteratorum explere numerum, aut in unum quasi caput revocare, quā de Antinicānis patribus docte scriperunt Bullus, Nourrius, Massuetus, Maranus, Thomafsinus, Onymus, aliique, sed tantum brevi calamo recensere ex actis Martyrum, quā horum eruditorum pro defendenda antinicānorum resta fide subterfugerunt oculos. Et hęc e re nata dicta volumus, ne quis lividus canino dente nos mordeat, quasi, dum ab aliis adducta reticemus argumenta, contemneremus illa, aut parvi penderemus.

Ut autem melior nostrā instruat demonstratio-  
nis methodus, visque clarior præfulgeat, brevem  
præcurrere jussimus de illis, quos adducemus, Ss.  
Trinitatis confessoribus crisin, quā eo collinat, ut  
superbos platonicā Philosophiā jactatores ex ultimis  
expellamus latebris. Jnter ipsos, quos proxime pro-  
laturi sumus hujus mysterii testes, aliquot videmus  
juvenes, puellas alias; imo et de turpi quāstu cōn-  
versas fāminas; illas autem quam maxime platonicā  
Philosophiā principiis imbutas fuisse, difficulter in

meum inducam animum. Ab aliis eruditioribus Catechistis illas instructas fuisse in disciplina catholica minime repugno, non autem in arte philosophandi. Aut Platonica Philosophia häccine tam infima, captu tam facilis, ut balbutientibus pueris, aut fäminis ad puvillum, vel cucumellam sedeatibus, auscultantibusque, ne dicam supremä hujus scientiä principia, sed vel prima infundi possint rudimenta? Immo et doctioribus sublimis semper häc visa viris. Ludibrium, me Hercle! faceret eruditis omnibus nosträ ätatis, qui fäminas prädicaret nostras Kantianas, Fictianas, aut Schellinganas, etsi negare nollem, quasdam, quä exceptionem formant in regula, a limine has salutasse scientias. Nostra autem ätas nonne illuminata dicitur, qua animum totum in rebus profanis occupatum habent mulieres, in religionis vel nullum, vel minorem, id quod contrarium de primis ecclesiä säculis apertissime demonstrare possem, si necessitas urgeret, aut cavillatoris cujusdam contradictio juberet.

Häc prima crisis; altera est, quä nos recta via docet, quomodo ex illorum confessione prudens formare debemus argumentum de illius ätatis universa doctrina. Si episcopi illam publice doceant fidem, eandem et presbyteri; hanc et confiteantur juvenes et fäminä, nec ullus alius tempus per omne contradicat: immo pro ista fide omnes parati mortem subire trucissimam; quis illam negabit fuisse universalem, doctrinamque communem? Sufficit autem, —

ut observat laud. Petavius in præfat. ad lib. I. de Trinitat. C. I. fol. 3. edit. antverp. — ad Nicæni concilii tempus (325.) traditionis seriem continuare: quod ex eo tempore plena deinceps inter catholicos et extra controversiam posita fuit istius dogmatis assertio; nec jam canalibus, et rivis; sed torrentibus et fluviis effusa, totam inundavit ecclesiam. Jgitur ad rem.

Prima, quæ occurrunt, acta ad nostram causam palam dicentia sunt S. Andreæ Apostoli. Inter alia præclara antiquitatis ecclesiasticæ monumenta, quæ novissime collegit, et edidit Andreas Gallandus in sua Bibliotheca veterum Patrum, extat quoque epistola Presbyterorum, et Diaconorum Achajæ de Martyrio S. Andreæ apostoli, quæ clarissimum de Trinitate perhibet testimonium. „Pax vobis — scribunt illi — et universis, qui credunt in unum Deum, et in Trinitatem perfectam (seu, ut alia versio habet: *in Trinitate perfectum*) verum patrem ingentum, et verum filium unigenitum, et verum spiritum S., procedentem ex patre et filio, (seu, *in filio permanentium*) et hoc esse unigenitum filium, quod est, et ille qui genuit: (seu, *ut ostendatur unus spiritus esse in patre, et filio.*)“ Testimonium sane, quo non clarius existere potest hodiernum: Mirum igitur, illud omnes fere, qui de Trinitate scripserunt, omisisse. Rejecerunt quidem hanc epistolam tanquam spuriam viri in arte

critica versatissimi, ut Tillemontius \*), Florentinus, nec Ruinartius inter acta genuina eam recensere voluit; ast observes, velim, omnes istos viros vita functos fuisse, antequam textus græcus in anglia repertus fuerit, quam cum nova versione, collatam cum Manuscripto græco Naniano edidit laud. Gallandius. Hinc non absque ratione mihi persuadere possum, ait Cla. Godef. Lumper Hist. theolog. critic. Sext. V. art. II. Tom. I. pag 210, viros illos egregios e spuriorum numero deleturos fuisse epitomam illam, si illam græca veste originali ornatam, atque adscititiis centonibus liberam conspexissent. Plura apud Gallandrum, cujus dissertationem Thesaurο suo patristico etiam inseruit Tom. I. pag. 160. Placidus Sprenger, et quam docte epitomavit laud.

---

\*) Vocem: Trinitas tribus prioribus sæculis omnino incognitam fuisse, autumat hic author, et inde causam arripit, non solum hanc epistolam, sed et aeta S. Sophiæ, et Ss. Eusebii et Marcelli rejiciendi. „Sapientissimi viri considerant, non versasi solitam vocem istam in ore scriptorum trium priorum sæculorum.“ Sed quam egregie hic erraverit Criticorum princeps Tillemontius, ostendit Honoratus a S. Maria animadv. in Reg. crit. Tom. I. Diss. IV. §. V. Art. 9. Graviores tamen, et adhuc vetustiora retulit documenta contra Tillemontium citat. Gallandius §. VI. ex Theophilo antioch. Clemente Alexand. Origine, Tertulliano aliisque — Vide et infra acta S. Eupli, et Ss. Fructuosi et c. M.



Lumper, sua, aliorumque novissima intermiscens. Ab Achaja remeare liceat Antiochiam; commorans enim ibi Trajanus inperator Ignatium, secundum hujus sedis episcopum \*) ad se vocari jussit, eique dixit: *Nos tibi videmur non habere secundum intellectum deos, quibus utimur compugnatoribus adversus adversarios.* Ignatius dixit: Dämonii gentium Deos appellas errans. *Unus enim est Deus, qui fecit cölum, et terram, et mare et omnia, quä in ipsis, et unus Christus Jesus filius ipsius unigenitus.* Ecce! cum uno Patre Deo, appellatur ab Ignatio et unus Deus Jesus Christus, quem aliis verbis Patri consubstantialem nominamus. Sed ne tibi aliquod de Spiritu S. dubium remaneat, adjungam his Martyris verbis illa, quibus acta ejus finiuntur.

„Glorificans in ipsius venerabili, et sancta memoria  
 „Dominum nostrum Jesum Christum, per quem,  
 „et cum quo Patri gloria, et potentia cum spiritu  
 „S. in Sancta ecclesia in säcula säculorum. amen.“

Simili clausula plurima alia Martyrum acta V. G. Policarpi, Felicitatis, Symphoriani. Bonifacii etc. clauduntur. Cum igitur tres hic divinä personä nominentur, unus autem Deus, qui Deorum gentilium pluralitati contrariam in partem ponitur, a

---

\*) Confer Diss. 15. Cla. Marcellini Molekenbuhr de Serie primorum Episcoporum in Cathedris Romana, Alexandr. Antiochena, et Jerosolymitana. Wesphalorum Monasterii. 1794.

S. Martyre, vel ipsius passionis scriptore confiteatur; manifestum habemus totum Trinitatis mysterium, quod S. Martyr pluries in suis Epistolis genuinis, verbis sane claris docet, quos longa serie citant Petavius lib. I. C. II. fol. 7. Berti lib. 8. C. I. Tom. II. pag. 95. edit. Neapolit. 1776. Tournely, Sardanga, Kilber alique. \*) Cum vero viderim ab his viris eruditis illud omissum testimonium, quod legitur in Epistola ad Romanos a Ruinartho græce, et latine edita, lectorem ut puto, non pönitebit, hac in pagina suppletum legere. „Ignatius, „qui et Theophorus, misericordiam consecutä in „magnificentia Patris altissimi, et Jesu Christi filii „ejus unici ecclesiä dilectä, et illuminatä in volun- „tate ejus, qui vult omnia, quä secundum carita- „tem Jesu Christi Dei nostri etc.“

Antiocheno Episcopo Romam adeunti in via occurrit S. Policarpus, in episcopatu socius, postea consors passionis et martyrii. Acta hujus ex episo-

---

\*) Septem primas epistolas S. Ignatii contra Casimirum Oudinium Comment. de Script. eccl. vindicavit V. C. Thom. Maria Mamachus ita, ut nullo cum loco consistere sit passus. Reliquas quinque epistolas, quas et critici catholici passim respuunt, vindicavit novissime Cla. Marcellinus Molkenbuhr in Appendice III. Diss. 4ta de Cathedra Antiochena edit. secund. Bielefeld. 1809. pag. 216. eosque ab interpolationibus purgavit.

la Smyrnensis ecclesiä refert Eusebius H. E. ex quo quädam citat Petavius fol. 7. Antequam vero illa a Petavio aliisque relata pronuntiaverat S. Martyr, sidera, cöbumque respiciens dixit: „Deus angelorum, Deus archangelorum, resurrectio nostra, solutioque peccati, rector elementorum omnium, et totius habitaculi, omne justorum genus, qui in conspectu tuo vivunt, protegens; te benedico tibi serviens, qui me dignum hac passione duxisti, ut percipiam partem, coronamque martyrii, in tunc calicis per Jesum Christum in unitate Spiritus S. etc.“ In hac precatöione absoluta continetur Trinitatis confessio, präsertim, si his a nobis jam adductis illa jungas, quä sequuntur a Petavio aliisque citata, a nobis autem prätermissa, quia dicta ab aliis repetere nolumus. *Deus pater* enim tanquam creator visibilium et invisibilium advocatur per Jesum Christum in unitate Spiritus S., seu ut verbis utar Petavii: Trium in eandem formulam ac communionem gloriä complexio significat naturä, ac divinitatis unitatem, et äqualitatem personarum. Veruntamen hanc doctrinam non solum martyris, sed et totius, cui präfuit, fuisse ecclesiä; patet ex verbis, quä §. 15. apud Ruinart Smyrnenses addunt. „Cum apostolis et omnibus justis alacriter Deum, et *Patrem* omnipotentem, et Dominum nostrum *Jesum Christum*, salvatorem animä nosträ gubernatorem corporum, et pastorem totius ecclesiä, et *Spiritum S.*, per quem cuncta cognoscimus.“ De-

siderantur quidem illa verba: *Jesum Christum*, sicut et: *Spiritum S. per quem cuncta cognoscimus*, in græca editione Cotelerii, veruntamen illa amanuensium incuria ommissa fuisse, certo autumare licet, cum ipsi Smyrnenses paulo superius fateantur, quod Christum nunquam derelinquere poterint, nec alium quemquam colere. *Illum siquidem utpote filium Dei adoramus*, ut apud Cotelerium legitur; et paulo post: *Valere vos optamus, fratres, ac intercedere in evangelico sermone Jesu Christi, cum quo gloria Dei et Patri, et Spiritui S.*

Jisdem et temporibus; ut Eusebius refert lib. 4. H. E. C. 16. passi sunt Justinus, et Pionius; ille sub nomine venit *Christiani Philosophi*, quia omne disciplinarum genus, ut ipse ait in actis Rurnartianis, discere conatus, omnemque eruditionem expertus, postremo christianorum disciplinã adhãsit. Pionius vero vir erat eruditus, ut Chronicon alexandrinum habet, et christianarum disciplinarum sanctiore cognitione imbutus, ac inter reliquos Eusebio testante lib. 4. H. E. C. 15. ejus temporis martyres celeberrimus. — Quid ergo Justinus? „Rectum dogma, respondit Præfecto, quod Christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut „Deum unum existimemus, factorem atque creatorem omnium, quã videntur, quãque corporeis oculis non cernuntur; et Dominum Jesum Christum „Dei filium confiteamur olim a prophetis prænuntiatum, qui et humani generis judex venturus est,

„salutis präco, et magister iis, qui ab illo bene  
 „didicerint. Ego quidem ut homo, imbecillis sum,  
 „et longe minor, quam ut de infinita illius (Chris-  
 „ti) deitate aliquid magnum dicere possim; pro-  
 „phetarum munus hoc esse fateor. Illi enim hujus  
 „ipsius, quem Dei filium esse dixi, in orbem ter-  
 „rarum adventum, multis antea säculis divini-  
 „tus prädixerunt.“ Ecce! Unum Deum no-  
 minat S. Martyr, insimul et Patrem creatorem et  
 filium Christum \*) Jesum a prophetis pränuntiatum.  
 Quid hoc est aliud, quam unitatem in essentia, et  
 pluralitatem in personis confiteri. Ne mihi cum  
 Clerico dicas juxta Platoniorum placita *unum* sig-  
 nificare unitatem specificam, Aristotele ipso faten-  
 te. Mira elusio! Non Platoniorum, sed Christia-  
 norum dogma enuntiat S. Martyr. Philosophorum  
 sensa Präfectus, si juxta asserta adversariorum pla-  
 cita philosophica illis diebus apud omnes pervulga-  
 ta fuerant, sane intellexit; quäsivit tamen: quale  
 nam esset istud dogma christianorum? Porro si  
 ut fertur, christianorum dogma cum platoniorum  
 sensibus plane conveniat, quare Philosophus noster  
 non adjicit: *quem et Philosophi unum dixerunt?*  
 Sed ex Confessione S. Pionii clarior apparebit nos-

---

\*) Cur hic nihil de Spiritu S.? Quia a gentilibus  
 Christi divinitas specialiter negatur, ideo eam S.  
 Martyr longiori oratione confitetur. De Spiritu  
 S. vero alibi S. Justinus agit.



tra argumentatio. Postquam enim Pionius ejusque socius Asclepiades Deum patrem, ejusque Verbum Jesum Christum ore pronuntiassent; quasivit Polemon. Quem Deum colis? Respondet: *Christum*. Polemon. Quid ergo? Jste alter est Deus? respondet. Non: sed ipse, quem et ipsi (socii) confessi sunt. — Quā verba postea S. Pionius repetiit, cui iterum judices dixerunt: illum dicis, qui crucifixus est. Et Pionius: illum dico, quem pro salute orbis pater misit. — Si illum pater miserit, ergo diversus a patre est, et tamen unus est. Quid ergo? diversus personalitate, unus essentia. Confer citat. Lamy C. III. de recta patrum Nicænorum fide.

Unum est, quod hic fors quemdam premere posset. In actis enim S. Achatii Episc. Melitinis dolet Martianus Consularis Martyrem vana Philosophia deceptum. Postquam Achatius dixerat: „Ego Deum meum opto, te scire, quod prosit, et Deum, qui est verus agnoscere: aiebat Martianus: Nomen ejus mihi enuntia. Achatius dixit: Deus Abraham, Deus Jsaac, et Deus Jacob. Martianus ait: Decorum ista sunt nomina. Achatius respondit: Non isti, sed qui locutus est istis, ille est Deus verus, illum timere debemus. Martianus ait: Quis est iste? Respondit Achatius: Altissimus Adonai, sedens super Cherubim, et Seraphim. Martianus ait: Quid est Seraphim? Cui Achatius. Altissimi Dei

minister, et excelsâ sedis antistes. Martianus ait: *Quâ te Philosophiâ vana disputatio decepit?* Verum quis non primo intuitu intelligit, hic Martianum non agere de quadam secta philosophica, sed de disputationis forma; vanam enim disputationem nominat. Aut an fors verba Martyris ex cujusdam philosophici instituti terminologia desumpta? An Cherubin, et Seraphin, an Abraham, Jsaac, Jacob platonici termini sunt? Apage nugas. Ad stria convertamus, quâ ipse S. Achatius profert. — Martianus ait: Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem vestrâ persuasionis, et legis. Habet ergo, ut dicis, filium Deus? Respondit Achatius. Habet. Martianus ait. Quis est filius Dei. Respondit Achatius: verbum veritatis et gratiâ. Martianus ait: hoc habet nomen? Respondit Achatius: non de nomine interrogaveras, sed de ipsa filii potestate. Martianus ait. Nomen explana. S. Achatius resp. Jesus Christus vocatur. Martian. ait: ex qua Dei uxore conceptus est? Resp. Achatius: Non hominum more Deus filium ex muliebri coitu genuit; sed Adam primum dextera sua faciente

---

\*) In actis Ss. Tarachii et c. M. iudex Maximus Martyris disputationem nominat *verbositatem*. Fors et in hoc sensu Martianus hic intelligendus; Sic et in actis Ss. Victoris et c. M. præses S. Martyri inquebat: *Adhuc philosophari non desinis? id est: perorare, disputare.*

formavit. Nam absit, ut tu majestati Divinā contactum puellā mortālis affirmes. Luto primi hominis membra composuit: et ubi integram jam compleverat effigiem, animam spiritumque concessit. Sic et filius Dei verbum veritatis ex corde processit: ideo scriptum est: eructavit cor meum verbum bonum — Martianus ait: corporalis igitur Deus est? — Achatius resp. Ipse solus agnoscit, nos vero non cognoscimus invisibilem formam, sed virtutem potentiamque veneramur etc.“ — Quā verba si accuratius perpendamus, facile colligimus generationem filii Dei diversam nominari a corporali hominum ortu, sive, ut verbis utar S. Athanasii: *non juxta corporum modum, neque instar mortalium animalium verbum veritatis genitum, sed sicut Deus primum Adam ex luto formavit terrā terrenum, ita Pater ex suo corde, sua substantia aeterna filium genuit coaeternum.* Nec quemquam perturbet verbum, quo utitur S. Martyr; nempe invisibilis forma; nam forma, substantia, essentia unum idemque non raro significat: ne vero judices, me arbitrarie hāc asserere, ecce! exemplum proferam ex authore grāco apud Oehms Opuscul. de Deo Trino, et uno fol. 21. sub nomine S. Athanasii citat. „*Substantia, genus, natura, forma unum sunt: Persona item, Charakter, Hypostasis, individuum, proprium, unum sunt.* \*) Porro quandoque etiam sub-

\*) Confer, quoque expositio fidei Ss. Basilii M. et Gregorii apud H. Canisium Thesaur. monument.

stantia et Hypostasis a patribus pro uno, eodemque significato utuntur, sed in diverso plane sensu, de quo plura exempla videre licet apud Lamium de recta Patrum Nicænorum fide C. H. Liceat unum exemplum hic adjicere, ab Autoribus prætermissum quod et vetustum, et clarissimum. Isaac ex judæo christianus, qui ante 400. annum claruit, in suo fidei libro, a Sirmondo edito scribit: *Deum patrem, et Deum filium, et Deum paracletum spiritum, unus substantiâ, et trinâ substantiâ ejus divinitatis fide nostra esse, et manere debere, confiteri quoque pium et salutare est.*

Hæc quidem per transennam; nunc vero, ut supra allatis episcopis alios jungamus testes, Presbyteros, Diaconos, laicos, fâminasque ordo postulat, et data promissio, ut fides monstraretur universalis, quâ est catholica. *Si enim, ut breviarium habet fidei adversus Arianos a Sirmondo editum, catholicam ecclesiam interrogas de patre quid sit, dicit Deum; sed et filium dicit Deum, sed et spiritum S. dicit Deum, et tamen non dicit tres Deos, ne gentibus comparetur, qui plures errore suo decepti confingunt.* Hanc fidei confessionem circa ann. 178. edixerat S. Martyr Epipodius. „Christum cum patre, et spiritu S. Deum esse confiteor.“ —

---

eccles. Tom. I. edit. Basnag. P. I. fol. 188. et S. Anastasii Orat. de Trinitat. ibidem fol. 443.

Et S. Vincentius circa ann. 304. „Dominum Chris-  
 „tum confiteor, filium altissimi patris, unici uni-  
 „cum, ipsum cum patre, et spiritu S. unum solum  
 Deum esse profiteor.“ Eodem fere anno ex ordine  
 Levitarum in civitate Catanensi S. Euplus Galvisia-  
 no respondit: „Patrem et filium, et spiritum s.  
 „adoro, sanctam Trinitatem \*) adoro, præter quam  
 „non est Deus.“ Et paulo infra. „Trinitatem  
 „inseparabilem adoro, quã Trinitas unitas deita-  
 „tis est.“ Anno vero subsequenti S. Martyr Ciry-  
 cus apud Ruinart. judici respondit: „Christum Dei  
 „filium unigenitum colo, per quem Pater condidit  
 „omnia... ac Domine Jesu! benedicat spiritus meus  
 „Patrem tuum Deum omnium conservatorem, ac  
 „universorum opificem, sanctumque spiritum in sæ-  
 cula. amen.“ Et Ss. Faustus et Januarius filii Mar-  
 celli centurionis. „Deus unus est, ex quo omnia,

---

\*) Ecce! Vox Trinitas ante Nicænum nota. Hæc quoque occurrit in actis Ss. Fructuosi Episc. Eulogii et c. M. a Gallandio, Honorato a S. Maris aliisque contra Tillemontium citatis. „Similes Ananiã, Azariã, et Misaeli constituerunt, ut etiam „in illis Trinitas divina cerneretur. Siquidem jam „in igne singulis constitutis ut Pater non deesset, „et filius subveniret, et spiritus S. in medio ignis „ambulare.“ Hæc quidem sunt Scriptoris actorum, non ipsius martyris verba; ex pluribus autem colligitur, scriptorem fuisse testem oculatum, aut notarium.



„et nos per ipsum ... ideoque confitendus, et laudandus Deus Pater, et filius, et spiritus S.“ Eodem fere modo S. Afra conversa fãmia circa ann. 04. „Tibi offero sacrificium meum, qui cum patre et spiritu S. vivis et regnas Deus in sæcula. etc.“

Hæc Martyrum fides, publica confessio ex omni ætate et genere nonne hodierna ecclesiã catholicã fides, quam et symbolum vulgo athanasianum firmiter fideliterque credendam proposuit, quam quotidie in Symbolo constantinopolitano confitemur: Deum de Deo, lumen de lumine, inseparabilem Deitatem, unitatem, Trinitatem, Patrem omnium creatorem, filium unici patris unicum, seu consubstantialem, spiritum s. vivificantem \*) et sanctificantem. Qua de causa haud cunctanter asserendum, quã credidit prima ecclesia apostolica, credit et hodierna catholica, et quã de Ss. Trinitate erat Antinicanorum sententia et fides, eadem et postnicænorum, et posttridentinorum.

---

\*) Spiritus vivificans nominatur a S. Martyre Bonifacio Romano. „Quoniam te decet omnis honor, et potestas una cum unigenito tuo atque sancto, et vivificante spiritu in sæcula sæculorum.“ Apud Ruinart Tom. II. pag. 186.

## §. X.

Cūr rarior de septem sacramentis in martyrum actis  
mentio.

---

Supersedere nobis nunc licet, longiori stylo de aliis religionis nostrā sublimioribus mysteriis, E. G. Divinitatis Jesu Christi, ejusque incarnationis disserere, cum ex præcedentibus hęc passim pateant, tum et vir omni laude major Prudentius Maranus ex martyrum actis splendido volumine id perfecerit \*) Unum tamen, quod fors minus tincto scrupulum injicere posset, hic tangere malumus, nempe cur in actis nostris rarior de septem sacramentis fiat mentio. Sed *primò* de his disserendi martyribus haud frequens sese præbuit occasio; *secundo*, ut supra modo innuimus, curabant Majores nostri, ut secretiora mysteria religionis christianā, ritusque, quos in ecclesia peragebant, Ethnicos, hostesque omnes nostros laterent, non, ut recte Mamachius Tom. I. antiq. christ. pag. 132 annotat, quod pudore ab iis vulgandis deterrentur: cur enim eos rerum sanctarum, optimarumque puduisset? Sed quod nollent

---

\*) Divinitas Jesu Christi Domini nostri manifesta in scripturis et Traditione. Authore Prud. Marano benedictino etc. Paris. 1746.

hominibus malis ea innotescere, quã cum intelligi ab his nequirent, periculum erat, ne rudis, superstitiosã, atque profanã plebis irrisioni exponerentur. Hanc rituum mysteriorumque occultationem hodierni Theologi solent appellare *Arcani disciplinam*, quã ab antiquis tam stricte observata, ut neque domesticis, neque consanguineis, antequam per lavacrum regenerationis ecclesiã adyta ingressi fuerint, quidquam aperuerint primi fideles. „Nostros homines, inquit Sancta Irene Virgo, et Martyr apud Ruinart Tom. II. pag. 405. inimicis pejores duximus, ne forte nos deferrent. Jtaque nulli hæc ostendimus.“ Jnde maxime cavisse Patres, annotante Emmanuel de Azevedo Diss. de disciplin. arcani, ne mysteria div. scriberentur plagellis, litteris missivis, quã facile deperderentur, et in manus gentilium pervenire poterant.

Non me quidem latet, hanc arcani disciplinam ab aliquibus viris protestanticis \*) traduci tanquam ignorantia asylum, ad quod toties appellare necessum haberent catholici, quoties suã ecclesiã dogmata ex Ss. scriptura luculentur ostendere non possent. Veruntamen eam viguisse tempore Tertulliani, sæculo III. nempe ineunte, concedunt Bingham-

\*) Confer. Wilhelm. Ernest. Tenzelius Diss. de disciplina arcani in Exercit. Select. P. II. in qua Cla. Emm. Schelsrateum refutare conatur, vana sine viribus ira.

mus Tom. IV. Orig. eccl. lib. X. C. V. pag. 123. Sam. Basnagius Diss. de Catechum., eorumque Baptismo §. 14. J. H. Boehmerus Diss. IV. ad Plinium de Coitionibus Christ. ad capiendum cibum §. 3. pag. 229; sed in hoc errant, quod Tertullianum primum de hac scriptorem statuunt. Antiquior est Clemens Alexandrin. qui satis clare de mysteriorum occultatione tam coram Ethnicis, quam Catechumenis egit in libris Stromatum. Loca Clementis, quæ Schelstrateum aliosque auffugerunt, contra adversarios erudite produxit Godefridus Lumper Histor. theolog. critic. Part. IV. pag. 425. \*)

Interim de aliquibus Sacramentis quædam in actis nostris invenimus præclara vestigia, digna, ut proferantur. Et primo in Epistola Presbyterorum Achajæ de passione S. Andrea Apostoli de reali Corporis, et sanguinis Christi præsentia lucida le-

---

\*) S. Justinus M., licet de Baptismo, et S. Synaxi gravissimis motus causis in suis Apologiis, et legationibus mentionem faciat, de aliis tamen sacramentis ibi altum observat silentium. De Sacramento Confirmationis nihil habet S. Martyr, sed nec id mirum, ait Cla. Prudentius Maranus C. 10, §. III. Diss. II. in Justinum. Non catholicis scribebat, sed imperatores ethnicos alloquebatur, apud quos minime necessaria erat hujus rei enuntiatione. Ita et de cæteris Sacramentis. Confer quoque citat. Diss. de Azevedo.

gimus verba. „Omnipotenti Deo ego omni die vi-  
 „vum offero sacrificium; non thuris quidem fumum,  
 „neque taurorum mugientium carnes, nec hircorum  
 „sanguinem, sed purum agnum quotidie in altari  
 „crucis Deo offero, cujus carnes postquam credens  
 „in Christum populus comedit, et sanguinem ejus  
 „bibit, immolatus agnus integer tamen permanet,  
 „et vivus. Mirante ad hæc dicta Ågea, et myste-  
 „rium per tormenta explorare volenti, respondit  
 „Andreas: Miror te hominem prudentem eo usque  
 „insipientiã delapsum esse, ut credas, te tormen-  
 „tis expiscari posse divinum sacrificium. Audisti  
 „mysterium sacrificii: si credideris Christum filium  
 „Dei, qui crucifixus est a judæis, verum Deum  
 „esse, exponam tibi, qua ratione vivat agnus, qui  
 „cum immolatus fuerit, integer tamen, et non im-  
 „molatus in regno suo permanet.“ Tria hic præ-  
 primis observanda occurrunt, Sacrificium nempe in-  
 crementum, quod in altari quotidie obtulit S. Apos-  
 tolus, quod hodie Ss. Missam nominamus, dein  
 corporis, sanguinisque realis præsentia; postremo  
 quod etiam post fractionem integer Christus sub  
 qualibet specie permaneat. De hoc præclaro Sacra-  
 mento præter ea, quã S. Jgnatius M. in Epistola  
 ad Romanos affert: „Panem Dæi volo, panem vi-  
 „tã, quã est caro Jesu Christi filii Dei [qui poste-  
 „riori tempore ex semine David, et Abraham est  
 „factus, et potum Dei volo sanguinem ipsi-



us \*) plurima alia habemus monumenta. Quodsi etiam abstinere vellem ab iis, quä in passione S. Perpetuä et Felicitatis de caseo, et buccella leguntur, quäque doctis. Possinus de S. Cöna in notis ad häc acta interpretatur, quia nimis obscura sint; synchrona tamen, et clariora supersunt. Tolosani cives, ut author passionis S. Saturnini Martyris et Episcopi Tolosani scribit, festum hujus martyris et patroni sui vigiliis, hymnis, et sacramentis etiam solemnibus honorare solebant, ubi sub Sacramentis *solemnibus* certe Ss. Coena, et Sacrificium incruentum intelligitur, quod ex S. Justino M. facile demonstrari possit, nisi nobis acta ipsa hujus explanationis suppeditarent argumentum. „Convenerunt autem religiosi viri, et sacerdotes Domini, — ut habetur in passione S. Luciani Martyris — et de-  
 „dicaverunt martyrium illorum cum omni honore,  
 „atque disciplina reverentiä participaverunt *mysterium redemptionis nosträ*.“ Ita et S. Prudentius in Hymno de S. Hipolito V. 170.

Propter ubi apposita est ara dicata Deo,  
 Jlla sacramenti donatrix mensa, eademque  
 Custos fida sui martyris apposita. etc.

---

\*) Eadem fere verba invenire licet in Sacramentario gallicano a Mabillonio edito Tom. I. Musäi italicici pag. 303.

Hujusmodi aram ad offerenda S. dona in domo Theodoti fuisse, legimus in hujus martyris passione. „Conversa erat taberna in aedem orationis, in hospitium peregrinorum, in altare sacerdotum ad offerenda sacra dona.“ Totus hujus sacræ rei ritus ab antiquis actio, ac celebratio dominica vocabatur. Plurima exempla præbent acta proconsularia Ss. Saturnini, et sociorum MM. Sancti enim judicio postulati, quod sacram Synaxin contra imperatoris præcepta egissent, sic proconsuli responderunt: *Dominicum cum fratribus celebravimus. Et iterum: sine dominico esse non posuimus... et devota mente celebravi dominicum, collectam cum fratribus feci, quia christianus sum.* Plura de *Dominico* vide apud Baronium in notis ad Martyrolog. et ad ann. 303. N. 84. in actis S. Anysii M.; et de *collectis* siugularem edidit Difs. D. C. P. A. italus, quam operi Cla. Claudii Fleuri disciplin. populi Dei inseruit celeberr. F. A. Zaccarias.

De Sacro baptismatis sacramento inter plura, quæ in actis habentur, duo tantum exhibebo documenta, ex quibus virtus et necessitas hujus lavacri demonstratur. In passione Ss. Perpetuæ et Felicitatis apud Ruinart legitur. „In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus; mihi autem spiritus dictavit, nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis.“ Ubi Cla. Holstenius annotat, hoc S. Perpetuæ exemplo mirum in modum

virtutem baptismi contra novos sectarios confirmari. Aliud autem documentum depromere præstat ex actis Ss. Victoris, Alexandri, Feliciani et Longini, in quibus memoratur, quod milites „claritatem tanti cernentes fulgoris (totum enim carcerem die „clarior lux cœlestis irradiavit nocte) ad pedes Sancti cernui procedunt, veniam flagitant, baptismum „petunt. Quos pro tempore diligenter instructos, „adscitis sacerdotibus, ipsa nocte ad mare duxit, „ibique baptizatos propriis manibus de fonte levavit.“ Ex quibus verbis clare elucet, sacerdotes simplices baptizasse, ac etiam sæculo exeunte tertio patrini officium in usu fuisse, omnesque hoc sacramentum ad salutem omnino necessarium judicasse.

\*) Vide commentarium nostrum de libris baptizatos Sect. I.

---

\*) Nihil in actis de forma baptismi, quia hæc inter arcana maxime habebatur. Omnibus notum illud Innocentii I. Epist. ad Decennium. Verba formæ dicere non possum, ne magis procedere videar quam . . . respondere. Vana autem sunt, quæ G. J. Vossius disp. II. Thes. v. Antonius van Dale Histor. baptismorum pag. 355. scribunt. „Minime formula, circa ritum baptismi observanda Matth. XXVIII. 19. præscribitur; „sed tantummodo ibi indicatur, in quorum nomen illud sacramentum istis baptizandis præstandum esset etc. et Vossius.“ Non dicit Christus: ite et docete omnes gentes (Dicentes: baptizo te

In actis Ss. Luciani, et Montani, qui passi sunt circa 200. sermo fit de Confessione. Prius enim magicam artem exercentes, subito gratiâ lumine illustrati conversi sunt, et euntes ad ecclesiam; ut „acta habent, *confessi sunt omnia, quâ gesserant.* „Cumque facti sunt Christiani \*) et postea baptizati, perfusi lumine, omnibus derelictis, loca secreta petierunt, qui per omne tempus macerantes se, et castigantes corpus suum, confitebantur Domino, quâ gesserant etc. Veruntamen de Sacramento poenitentia seu confessionis non audeo hæc explicare. Agitur enim hic de confessione ante baptismum, qui ritus apud antiquos in usu fuit, ut Cla. Martene lib. I. de antiq. eccl. ritib.

---

in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. Ecce! in tot abyssus ruunt et viri optimâ eruditionis, qui divinam respuunt traditionem, nec matris ecclesiâ amant audire vocem. Profecto Salvator præscripsit, quid agere debeant Apostoli, nempe baptizare in Nomine P. et F. et Spr. S. Minime necessarium est, ut addat Salvator: Dicentes, sive hæc utamini forma. Ecclesiam a prima die usam hac forma, ostendere licet ex ordinibus ecclesiasticis a Martene editis et Ss. Patribus plurimis. Protestantium variationes legere licet in Diss. Göttingâ 1816. edita: de Baptismatis origine etc.

\*) Jd est: in fide instructi. Ante baptismum enim nemo verus Christianus vocari potest.

C. I. Art. X. pag. 77 et Morinus Tractat. de Catechumenorum expiatione C. II. pag. 9. ostendunt. Confessionis sacramentalis usus clarior patet ex lamentatione fidelium in persecutione vandolica, cujus historiam scripsit Victor Vitensis. „Occurrēbant ipsis martyribus (Episcopis, et Presbyteris) undique fidelium populorum agmina, qui cereos manibus gestantes, filiosque pedibus ipsorum pervolventes clamabant, *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquā peremis? \*) Qui nobis poenitentia manus collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia, obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est, quicumque solveritis super terram, erunt et soluta in cōlis; qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus?*

Præclarum hoc ex sæculo quinto documentum afferunt Cla. Morinus lib. de Poenitent. administ. 8. C. I. et post ipsum alii.

---

\*) Ex his liquido patet, etiam infantes parentum fidelium seu Christianorum sacro lavacro regenerationis ablutos fuisse sæculo V. et inde pueros, licet a parentibus catholicis ortos, egere baptismo. Confer Van Dale Historia baptismorum pag. 350, ubi Socinum refutat, asserentem, filios Christianorum non fuisse baptizatos.



Silentii hujus de confessione sacramentali in martyrum actis et alia fors particularis est ratio. Cum enim juxta Ss. Patrum sententiam Martyrium tam sublimis sit charitatis gradus, tantanque in se habeat virtutem, ut baptismum aquâ in casu necessitatis \*) suppleat, quidni et poenitentiam, quâ non est tantâ necessitatis, ut regeneratio? Innuat hanc nostram conjecturam S. Cyprianus Epist. ad Caldonium. „Recte sensisti circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi vera poenitentia, et dominicâ confessionis gloria reddiderunt; cum ergo abluerint omne peccatum, et maculam primam assistente sibi domino, posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo, quasi prostrati, non debent.“ Immo cum martyribus virtute confessionum suarum et passionum data et concessa tanta venia, tanta potestas, ut lapsis pacem, peccatoribusque indulgentiam missis ad episcopos pacis, ac reconciliationis libellis \*\*) largiri potuerint; multo magis sua confessione propriâ deletâ maculâ. „Per ipsius, aiebat ad Aglaem Angelus, ut

---

\*) Confer Martene de antiq. Eccles. ritib. lib. I. C. I. art. 9.

\*\*) De Libellis indulgentiâ lege Diss. Cla. Natalis Alexand. Diss. III. sæcul. III. Alaspinei observation. Lib. I. C. 20. edit. Neapol. pag. 52. et Klupfelii Diss. de libellis martyrum. Friburgi 1777.

„habetur in actis S. Bonifacii M. apud Ruinart Tom. II. pag. 188. — interventionem universa peccata relaxabuntur tibi.“ Et in actis S. Afrä, quä prius meretrix fuerat apud Ruinart Tom. III. pag. 78. „Ipsi Christo quotidie crimina mea, et peccata mea „confiteor. Et quia indigna sum ipsi sacrificium „offerre; me ipsam pro nomine ejus cupio sacrifici- „care, ut corpus, in quo peccavi, dum poenas per- „tulerit, abluatur . . . Et. „In hoc me cognosco „a facie Dei non esse projectam, quia ad gloriosam „confessionem sui nominis permittor accedere, per „quam me credo omnium scelerum meorum indul- „gentiam accepturam etc.“ Qua de causa insultat Tertullianus jam Montanista lib. de Pudicitia C. 22. — „At tu jam et in martyres tuos effundis hanc po- „testatem. . . Sufficiat martyri propria delicta pur- „gasse etc.“ Unde etsi legimus Presbyteros, aut Diaconos visitasse martyres in carceribus, iisque subvenisse; nunquam tamen, aut rarissime inveni- mus, martyrum, aut confessorum peccata sacra ex- omologesi condonata. Lapsis vero a Presbyteris, imo Diaconibus säpius manus impositä peccataque condonata fuerunt, ut pluries S. Cyprianus in Epis- tol. testatur. \*)

---

\*) Cla. Morinus Lib. 8. de Poenitent. C. 23. fol. 538. — Thomassinus de N. et V. disciplina. lib. II. P. I. C. 29. edit. Mogunt. pag. 211. — Martene lib. I. de Antiq. Eccles. ritib. Tom. II. artic. VI. pag.

## §. XI.

Hierarchiam divinā institutionis esse, acta MM. testantur.

---

Extra propositi nostri lineam esse, verbis plurimis demonstrare divinam Hierarchiā nostrā institutionem, nemo prudens negabit. Qui causam hanc pro dignitate examinatam legere cupit, adeat nos-

---

37. scribunt, sæculis 4. prioribus tempore necessitatis datam fuisse Diaconis potestatem, peccatoribus, lapsisque veniam dandi sacra exomologesi; immo Martene pag. 38. ait. His ex omnibus luce meridiana clarius constat, diaconos ad usque finem sæculi XIII. confessiones poenitentium absentibus Presbyteris, urgenteque necessitate, excepisse. — Contra eruditiss. Albaspinäus lib. 2. Observ. C. 27. pag. 133. Natalis Alexand. Sæcul. III. Diss. IV. pag. 112. edit. cit. Du Mesnil discipl. et doctrin. Eccles. Tom. I. fol. 319. de expiatione cæremoniali, ac absolute ab excommunicatione explicant. Albaspinäum, ac Natalem Alexandr. refutare conatus est celebr. Jacob. Basnagius Præfatione ad H. Canisii lectiones antiq. sive Thesaur. Monument. eccles. Cap. VII. fol. 64. plerumque argumentis Joan. Morini certans. Veruntamen Basnagium egregie refellit Carolus Blascus Tom. II. opuscul. canonico-criticor. Diss. I. Nella quale si

tros apologistas. \*) Interim non pigebit, quādam pro hoc dogmate loquentia ex actis extrahere instituto nostro tenaces; quō pluribus enim veritas probatur argumentis, eo magis convincere solet, aut persuadere. In actis Ss. Perpetuā et Felicitatis M. visio narratur §. XIII. quā omnino disciplinam ecclesiasticam ejus temporis illustrat. „Exivimus, et vidimus ante fores Optatum Episcopum ad dexteram, et Aspasium Presbyterum doctorem ad sinistram, separatos, et tristes etc.“ Nonne hic Presbyter ab episcopo unius ejusdemque ecclesiā clare discernitur? Ne mihi autem dicas, visionem

---

Sostiene, non essere stato mai permesso a Diaconi, neppure in caso di somma necessita, di amministrare ill sacramento della Poenitenza. Quam latinis litteris, notisque illustratam dabimus suo tempore.

- \*) Hoc Dogma präprimis illustrarunt, invictisque argumentis propugnarunt Dionys. Petavius contra Salmasium, et Blondellum, Natalis Alexand. Diss. integra contra Blondell. Petr. de Marca cum annotationib. Carmini Fimiani contra J. H. Boehmerum Tom. 4. Concord. Th. Mar. Mamachius T. 4. antiq. Chr. contra Buddäum et Walchium catholici — et Pearsonius, Beveregius, Binghamus, Hammondus anglicani episcopales. Edidit quoque Cla. Molkenbuhrius noster Diss. 18. de S. Hieronymo, et Clemente I. an docuerint Presbyteros esse ñquales Episcopis. 1796.

fuisse de re in facto non existente, audias, quäso, quod S. Saturus adjicit: „Et diximus illis: nonne „tu es Papa noster \*) et tu Presbyter, ut, quid „vos ad pedes nostros mittatis? Ecce! Ut dignitate superiores sese ad pedes eorum mitterent, recusarunt laici Saturus: ejusque sociä Perpetua et Felicitas. — Häc distinctio tam vulgaris erat primis säculis, ut et ipsis persecutoribus apprime cognita. Paternus enim Proconsul ad S. Cyprianum dixerat: *Non solum de Episcopis, sed etiam de Presbyteris mihi scribere dignati sunt. Volo ergo scire ex te (qui es Episcopus) qui sint Presbyteri, qui in hac civitate consistunt.* (Acta Proconsul. S. Cypriani apud Ruinart. Tom. II. pag. 43.) Ex qua proconsulis ethnici interrogatione recte colligimus, in civitate multos adfuisse Presbyteros, unum tantum episcopum, cui cäteri omnes, et Diaconi, et Presbyteri subsunt; ad finem enim horum actorum memorantur et Diaconi, quibus Dalmaticam tradidit S. Martyr.

---

\*) Ad häc acta certe non respexit criticus Tillemon-tius, quando scripserit Tom. 4. adnotat. in S. Sebastian. „Fas est ambigere, hic ne usus (Papä nominatio) tot säculorum ätatem ferat.“ Verum et prior, et antiquior est usus. Nominis hujus antiquitatem illustrat Vir säpius laudatus Mamachius Tom. IV. antiq. christ. C. 4. §. pag. 297. art. 9. Selyaggius Institut. eccles. antiq.



Cla. Vir Justus Henningius Bochmerus omnes quidem vires adhibet, ut demonstret episcopalem ordinem non religionis, sed dignitatis gradum ad instar Decurionum sive senatorum apud Romanos esse, imperio etiam quodam ornatum. Quem admodum ordo apud Romanos — ait Diss. VI. in Tertullian, pag. 319. §. III. — non tantum dignitatem, sed etiam imperium quoddam inferebat, ita maxime hæc denominatio tunc imprimis in ecclesia audita est, ubi ordo ecclesiasticus et dignitate, et imperio quodam sacro præfulgebatur. — Veruntamen non dignitatis, sed religionis apprimè gradum esse Episcopalem, aut Presbyteralem ordinem, dilucide ostendunt acta Ss. Jacobi, Mariani et c. M. „Per dies plurimos effusione sanguinis transmittebatur ad dominum numerosa fraternitas, nec pervenire ad Jacobi (Diaconi) et Mariani (Lectoris) clericorumque victimam rabies insanientis præsidis poterat, laicorum tam multis occupata vulneribus. Nam ita inter se religionis nostræ gradus artifex sævitia diviserat, ut laicos clericis separatos tentationibus sæculi, et terroribus suis putaret esse cessuros.“ Profecto hæud obscura nostri dogmatis in hisce verbis: *religionis nostræ gradus*, continetur doctrina; ordinis enim gradus dicuntur *religionis gradus*, quia non ab hominibus inventi, et introducti, ut ordines decurionum apud Romanos, sed ab ipso religionis fundatore Deo Jesu Christo, ejus-

que Apostolis instituti divinitus. \*) Et merito gradus appellantur; sicut enim ab inferioribus ad altiores ascendere solemus gradus, ita et in ecclesias-

\*) Josephus Muth Professor Hadamarensis lib. cit. pag. 43. animose ait: In der ältesten Kirche wußte man nichts von einer solcher Unterordnung der Bischöfe und Priester, wodurch diese sich zu einem fremden Primas, wie Vasallen und Knechte zum Lehnsherrn verhielten. Vom Herrschen war bei den Lehrern der ersten Christen gar nicht die Rede: sie wichen nicht ab von dem ausdrücklichen Gebote Jesu Christi, daß unter ihnen gar kein Rangstreit seyn sollte. — Et pag. 87. In der christlichen Kirche soll das Band einer Familie, und das Verhältniß ihrer Mitglieder zu einem Vater statt finden. In der römischen Kirche aber sind von dem Laien aufwärts bis zum höchsten Gebieter sehr viele Stufen; die geistlichen Würden von der untersten Weihung an bis zu Petri Schlüsseln bilden eine lange Kette, ähnlich den verschiedenen Abstufungen, die eine orientalische Theosophie in der Geisterwelt macht, wo Dämonen, Engel, Aconen etc. bis zum Throne der Gottheit die Lücke ausfüllen. — *Nescio profecto, an ignorantiam, an magis mirari liceat malitiam, perversamque hujus catholici sacerdotis mentem, cum et pag. 74. regulam ipsemet constituit.* Der Grundsatz des Katholicismus ist: in der Religion fest zu halten an dem, was überall, was allzeit, was von allen ist geglaubt worden. *Ex ore te ipsum judico. Ecce! ab omnibus, semper, ubique agnitus sacer hierarchicus ordo divina institutionis. Et tu illum audacter rejicis tanquam figmentum? Tunc sacerdotis potestatem*

ticis ab inferiori ordine ad sublimiorem consecratione divina erigimur. Präclarum hujus exaltationis, seu erectionis habemus exemplum in Philippo Episcop. Heraclens. apud Ruinart Tom. II. pag. 437.

„Beatus Martyr Philippus Diaconus primum, mox Presbyter, aliquot laboribus probatus ecclesiä, et stipendiorum suorum devotione laudabilis, conscientia bonis lätus, et vitä honestate securus, consensu omnium tandem Decus episcopale suscepit, nullo mirante, eo quod dignus esset.“ Unde et non raro Episcopatus ordo, sive ordinis gradus su-

---

exerces, quam agnoscis nullam, inanem? Depone, si larva sit, qua vestivit te Romano-catholica ecclesia, et deprime ea, quibus häc mater suam fulciri solet jurisdictionem, argumenta non schillerianis poesibus, sed divinis oraculis, et traditionibus. — Multo cordatlor, et sanior celeb. J. C. W. Augusti acatholicus scribebat in seinen christl. Alterthümern, Leipzig 1819. Seite 24. Doch findet man, wenn auch die aus den Briefen des Ignatius hergenommenen Beweise die Prüfung der Kritik nicht aushalten sollten, schon vom zweiten Jahrhundert an mehrere Zeugnisse von einem gemachten unterschiede, und einer progressiven Erhebung des Episkopats über das Presbyteriat. — In volumine quartali II. Salisburgensi D. Decani F. Freindaller de anno 1813, Part II. existit Diss. erudita pag. 47. Warum werden die Apostel und ihre Nachfolger in den Schriften des N. B. niemals Priester genennt?

perior, Presbyteratus, aut Diaconatus inferior respectu ad Episcopatum nominatur. In actis S. Vincentii M. legimus: „Episcopos, Presbyteros, ceterosque sacri ordinis ministros, spiritu nequitiae exagitatus, rapi præcepit Præses.“ Confer. quoque passio S. Febronii apud Socios Bolland. Tom. VI. Junii sive 25. Jun. — Societas hæc, quæ ex Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliisque inferioribus ministris constat, sub universali nomine *Cleri* venit, ecclesiasticamque constituit Hierarchiam, si corpori huic adjungas caput visibile in terris, Pontificem Maximum, omniumque fidelium patrem, Papam Rom. Exemplum affert Martyrium S. Sadoth Episcopi, qui Clerum suum, tum Presbyteros, tum Diaconos convocavit. Apud Ruinart Tom. III. pag. 326.

Sed quid soli affundere lucem tentamus? Nostra causa tam aperta, tam decisa apparet, ut nec saniores viri protestantici eam negare velint. \*) Unum præstat tamen quorundam reprimere, ac præcludere effugium. Episcopos, Presbyterosque in primitiva ecclesia fuisse concedunt, sed hos *Seniores* fuisse communis arbitrantur. Mira elusio! An ætas fors et *religionis* gradus? Sed et nobis ex actis hoc effugium refellere liceat. In actis Cirthensibus

---

\*) Haller über Restauration der Staatswissenschaft. I. B. S. 91. et Augusti I. cit.

apud Baronium ad ann. 303. N. 15. expresse nominantur Episcopi, Presbyteri, Diacones et seniores, ubi seniores ab illis sacris ordinibus initialis clericis distinguuntur; unde et Epistola, quam Baronius N. 17. affert, incipit: *Cliscire, et senioribus* Cirthenis salutem in Domino. Confer et acta Ss. Martyrum Persarum apud Ruinart Tom. III. pag. 316.

---

§. XII.

Locus de purgatorio, et suffragiis pro defunctis in actis Ss. Perpetuä et Felicitatis expenditur ac vindicatur.

---

Post litteratissimas Jos. Augustini Orsi de hoc loco curas, ejusque pro actis Ss. Perpetuä, et Felicitatis Mm. contra Basnagium apologiam, novä hunc locum subjiciendo crisi, nos laterem lavare fors reputabit nonnemo, aut operam sumere inanem. Non ita mecum catholicus. Cum enim ex adversa parte quotidie eadem recantetur buccis plenis, superbisque propositio; quis ägre feret, locum antiquissimum apertö marte pro dogmate catholico pugnantem iterum proferre, aliisque animadversionibus instruere, illustrareque. Asserebat olim Cla. Leo Allatius lib. de Purgatorio pag. 42. edit. Ro-



man. 1655. Græcos pro mortuis orare, non negabit, nisi stultissimus; \*) et tamen nostris diebus non erubuit scribere vir Russicus Alexander de Stourza \*\*) græcos nunquam orasse pro mortuis, et purgatorium, fabulam esse Romanâ ecclesiâ. Digna igitur res, ut tentemur, an sæculo secundo apud catholicos purgatorium fabula fuerit, an veritas. Imo veritas fuit omnibus retro sæculis apud Græcos, et Romanos, ut Coccius, Bellarminus, Allatius, Gotti aliique centenis adductis patrum textibus demonstrant. Nostrum locum ex actis Ss. Perpetuâ et Felicitationis Mm, etsi laudati authores, sicut et recentiores plerumque neglexerint, racemati sunt Natalis Alexand. H. E. Diss. 45. sæc. IV. Prop. II. pag. 522. — Du Mesnil doctrina. et discipl. eccles. Tom. II. lib. V. §. 30. fol. 244. Th. Mar. Mamachus Sitten der ersten Christen Th. III. Seite 62.

\*) Confirmatur assertio Allatii responsionibus Græcorum, quas edidit V. C. Joan. Lamius: Delicia eruditorum. Florentiâ 1738. Resp. 9 et 10. pag. 97. — et in Menâis Græcorum apud Gotti, et Fabricium Biblioth. Græca Tom. V. Append. pag. 83. — G. H. Bernstein de Jnitiis et Originibus religionum in oriente dispers. Berolini 1817. pag. 36.

\*\*) Betrachtung über die Lehre, und den Geist der orthodoxen Kirche — aus dem Französischen übersetzt von N. von Rozebue. — Leipzig 1817. Seite 63. T. III.

Proferamus ante omnia ipsum comma ex actis  
 Ruinartianis Tom. I. pag. 209. „Post dies paucos,  
 „dum universi oramus, subito media oratione pro-  
 „fecta est mihi vox, et nominavi Dinocratem: et ob-  
 „stupui, quod nunquam mihi in mentem venisset,  
 „nisi tunc et dolui memorata casus ejus. Et cogno-  
 „vi, me statim dignam esse, et pro eo petere debere.  
 „Et cöpi pro ipso orationem faceremultum, et inge-  
 „miscere ad dominum. Continuo ipsa nocte osten-  
 „sum est mihi hoc in oromate: video Dinocratem  
 „exeuntem de loco tenebroso, ubi et complures erant,  
 „ästuantem, et sitientem valde, sordido vultu, et co-  
 „lore pallido, et vulnus in facie ejus, quod cum  
 „moreretur, habuit. Hic Dinocrates fuerat frater  
 „meus carnalis, annorum septem, qui per infirmita-  
 „tem facie cancerata male oblit, ita ut mors ejus odio  
 „fuerit omnibus hominibus. Pro hoc ego orationem  
 „feceram: et inter me, et illum grande erat Diade-  
 „ma, ita ut uterque ad invicem accedere non pos-  
 „semus. Erat deinde in ipso loco, ubi Dinocrates  
 „erat, piscina plena aqua, altiozem marginem ha-  
 „bens, quam erat statura pueri, et exteudebat se  
 „Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod  
 „et piscina illa aquam habebat, et tamen altitudi-  
 „nem marginis bibiturus non esset. Et experrecta  
 „sum, et cognovi fratrem meum laborare. Sed con-  
 „fidebam profuturam orationem meam labori ejus,  
 „et orabam pro eo omnibus diebus, quo usque  
 „transivimus in carcerem castrensem. Munere enim

„castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc Getä cäsaris, et feci pro illo orationem die, et nocte gemens, et lacrymans, ut mihi donaretur. Die autem, quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc: video locum illum, quem videram tenebrosum, esse lucidum; et Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem. Et ubi erat vulnus, video cicatricem; et piscinam illam, quam retro videram, summisso margine usque ad umbilicum pueri, et aquam de eo trahebat sine cessatione, et super margine phiala erat, plena aqua; et accessit Dinocrates, et de ea bibere cöpit, quä phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de aqua ludere more infantium gaudens, et experrecta sum. Tunc intellexi translatum eum esse de poena.“

Egregius sane locus, ut annotat Cla Ruinart, ad probandum mortuos posse etiam a poenis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari; unde haud mirum nobis subire debet, acriori stylo contra hunc insurrexisse Samuel. Basnagium virum protestanticum, quem sui Belgii decus nominant. Sed audiamus, an digna, solidaque Basnagii crisis.

*Primo* reponit Basnagius: Baptismum non fuisse adeptum Dinocratem, qui septennis fato functus erat, eo liquet, quod et soror ejus jam nupta, jam annos duos et viginti nata, tamen erat inter Catechumenos, et Pater a religione christiana foret alienus. Quo casu precibus Perpetuä Dinocrates liberari non potuit.

Verum toto cölo aberrat vir criticus. Prime enim ipsum Dinocratem fuisse catechumenum author prologi haud obscure fatetur. „Perpetua — ait — honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, habens patrem et matrem, et fratres duos: alterum üque catechumenum.“ Amabo! häc ultima quid sibi velint verba? Duos Sancta Martyr habuit fratres, Saturum, qui cum ea passus est, et Dinocratem; Saturus adhuc vivebat, et cum ipsa in carceratus fuerat; et de ipso ait author: *alterum üque catechumenum*: quä expressio aperte declarat, et primum jam mortuum fuisse catechumenum. Hic autem cum in vita fuerit catechumenus, quis dubitabit, eum morti proximum fuisse salutaribus undis regeneratum, aut in extremis baptizatum; praesertim cum tota ejus familia christianis legibus addicta fuerit. Verum quidem, Patrem adhuc idololatram fuisse, sed et ipsum solum et unicum. „Et „ego dolebam — agebat S. Perpetua — canos patris mei, qui *solus* de passione mea gravisurus non „esset de toto genere meo.“

Deinde — pergit Basnagius — hac visione purgatorius ignis extinguitur. Non enim in flammis, sed in loco tenebroso versantem Dinocratem vidit Perpetua, soli poenä, qui damni est, non sensus subditum. Jtaque Ruinartum nil juvat visio häe probando, mortuos posse a poenis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari. Etenim ex latinorum

sententia poena sensus, qui baptismum consecuti sunt, soli per vivorum suffragia liberantur. Quod si post Baptismum Dinocrates idololatria pollutus fuit, ut innuit S. Augustinus, nullius sane precibus, meritis poenis eximi potuit.

Sed et hęc Basnagiana in vano cubare, facile demonstratu est. Etsi enim probabilior sit sententia, ignem revera esse in purgatorio; hęc tamen theologica, non catholica est sententia, seu ut clarior loqua; ignem an materialem, au spiritualement esse purgatorium disputant antiqui \*) äque ac recentiores \*\*) theologi, imo Græci quanquam plurimi purgatorium admittant, ignem omnino negant \*\*\*), neque occidentalis ecclesia in florentino concilio ideo redarguit græcos.

Demus tamen Basnagio, dogma catholicum semper fuisse, et esse, ignem in purgatorio esse materia-

---

\*) S. Bonaventura lib. 4. dist. 21. art. 2. quæst. 2. edit. Nurnberg. 1491. — Nicetas Enarrat. in Epist. I. ad Corinth. apud Lamium I. cit.

\*\*) Bellarmin. lib. II. de purgator. Cap. 10. Tournely, Billuant, Wiest. Tom. V. pag. 452. Brenner etc.

\*\*\*) Confer. Leo Allatius I. cit. Lamy delicia cruditi. in notis ad responsion. Græcorum. R. 9. et 10. pag. 103. Gotti Tom. II. P. I. de vera ecclesia contra J. Piceninum pag. 331. edit. Bononiens. 1702.



lem: quid inde? An hic ex visione S. Perpetuæ extinguitur; *Minime gentium*. Ubi enim fumus, ibi quoque ignis; sic Logici concludunt; ergo cum *ästuantem, et sitientem valde* vidit Sancta Martyr fratrem Dinocratem, calorem innuit, et ignem. Unde Holstenius in hæc verba scribit: apprime hæc congruunt cum doctrina ecclesiæ de purgatorio, ubi ästu, et igne animä torquentur; in sacra scriptura quoque non raro ästus pro igne adducitur, aut ille huic conjungitur. Sic pueri in fornace: *benedicite ignis et ästus* — et apud Math. *portavimus pondus diei et ästus* — et in Apocalypsi: *et datum est illi ästu affligere homines, et igni: et ästuaerunt ohmines ästu magno*. Cap. XVI. 8.

Illud vero, quod addit vir criticus, nempe Dinocratem soli poenä, quä damni est, non sensus subditum ex visione sororis fuisse, vix seria mente ab ipso prolatum credo. Licet non in flammis, tamen in loco tenebroso, in carcere ästuantem, et sitientem valde ipsum vidit soror. Quid autem; tenebrä, ästus, sitis, corpus nudum, sordidus vultus, color pallidus nonne ad sensus pertinent? Quid verbum: *refrigerium* aliud significat quam sensuum conformationem, et saturitatem? Unde in Psalmo 65, *transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*. Et Tertullianus in Apolog. C. 39. „Quantisque sumptibus constet, lucrum est pietatis, nomine facere sumptum; si quidem inopes quoque

„refrigerio isto juvamus.“ Et in libr. de Virginib. velandis C. 9. Cui siquid refrigerii debuerat Episcopos etc. — Video locum illum — ait Perpetua — quem videram tenebrosum, esse lucidum; et Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem... et satius abscessit ab aqua ludere infantium more gaudens.“ Hęc omnia, ni ad sensus pertineant, cuncta ignorare me fateor. Profecto non solum inter Dinocratem, et Perpetuam grande erat Diadema vel Diastema; non solum ipse privatus aspectu Dei, sed et ipsa Perpetua cognovit, fratrem laborare multum, et pati. In prima consistit poena damni, in altera parte pōna sensus. \*)

Illud etiam longe mirabilius, ut verbis utar Cla. Orsi l. cit. pag 134. quod Ruinartum nil hanc visionem juvare dicat Basnagius probando: mortuos posse a poenis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari. Quum scilicet Perpetua verbis adeo disertis affirmet, suis precibus impetrasse, ut de poenis, quibus torquebatur, Dinocrates transferretur; mirum profecto, quomodo Ruinartum nihil juvet visio hęc probando: *mortuos posse a poenis etc.* Hic sane vel actorum genuitas jam, aut Martyris fide in controversiam vocatur. Ruinartum neque de ac-

\*) Novissime edidit J. K. librum singularem: *Erster Blick in das künftige Leben, oder das Reich der Geister.* Würzburg. 1818. Ubi pag. 290 de poenis agit, quas maxime obscure explicat.

torum sinceritate, neque de Martyris fide suspicio ulla tangebatur. Basnagius autem, qui nullam de actis quæstionem movet; videamus, quibus argumentis Perpetuæ fidem abrogare conetur. *Ex Latino- rum sententia — inquit — poenæ sensus, qui baptismum consecuti sunt, soli per vivorum suffragia liberantur.* At nos baptizatum fuisse Dinocratem, cum S. Augustino pro certo habemus, et poenæ sensus subditum fuisse, clarissime demonstravimus. Quid ergo? Quodnam autem fuerit Dinocratis peccatum, S. Martyr non vidit, multo minus dicit, ipsum in idololatria fuisse relapsum, ut Basnagius false supponit. Sunt alia multa puerorum ejus ætatis peccata, quæ purgationem requirunt in altera vita, ut mendacium, deceptio in ludendo, ira etc. Jgitur nolumus de hoc, quod S. Matrona tacet, et quod vel ipsa nescivit, altius inquirere, aut disputare, contenti de his, quæ apertis verbis docet, nempe ejus precibus Dinocratem translatum fuisse de poenâ, et profuisse orationem labori ejus.

Denique tenebrosus ille Locus — est observatio Basnagii — ubi Dinocrates includebatur, a purgatorio prorsus diversus communem illum carcerem sonat, in quo omnes præter martyrum animas conjici, patribus bene multis, Montanistisque creditum. Hinc scriptum Tertulliano: *tota Paradisi clavis tuus sanguis est.* Et ipsos Patriarchas inferis detineri putavit, donec a Christo liberentur. In eo

tarcere, quem *limbum* recentiores dicunt, Dinocrates collocari censebatur.“

Quid aliquibus Patribus, Montanistisque olim de tertio purgationis loco creditum fuerit, nunc mihi non superest otium examinandi, nec officium \*). Illud scio, *limbum* a nostro purgatorio caute ab ipsis fuisse discretum. „Si plus aliquid scire cupiunt Græci — verba sunt Pantaleonis Tractat. contra Græcos apud Canisium Thesaur. Monum eccl. edit. Basnagian. Tom. 4. fol. 48. — de animabus defunctorum, legant, et intelligant \*\*) libros suos, et invenient quatuor receptacula defunctorum, scilicet Cölum empyreum, quod et Paradisus beatorum dicitur: Infernum, *limbum*, et purgatorium.“ Purgatorium autem qualiter a limbo distinctum sit, acute ostendit Card. Gotti l. cit. pag. 334. „Lim-

\*) De Patrum sensibus circa purgatorium legendi cit. Bellarminus, Coccius in Thesaur. theolog., et ex recentioribus Frieder. Brenner II. B. der Dogmatik. Seite 323 zc. — De Montanistis vide Orsi l. cit. pag. 135. — Originem declarat Card. Gotti l. c. Clementem Alexandrin. Lumper Tom. IV. Histor. theolog. pag. (475. et Brenner - Confer. Diss. D. Ildephonsi Schad: De Praxi ecclesiæ primitivæ orandi, et offerendi pro defunctis in distincta a praxi ecclesiæ modern. Moguntiæ. 1811.

\*\*) Ecce! Græcos ad libros eorum remittit Pantaleon, ex quo mire supra Allatii assertio confirmatur.

„bus locus erat, in quo animā justā, et purificatā  
 „salvatorem expectabant, qui passione sua ipsis  
 „aperiret ingressum ad cōlum, idcirco *una* ibi poena  
 „damni erat. \*) At Purgatorium locus est satisfac-  
 „torius pro culpa, et locus est purgationis, qua-  
 „mobrem utraque ibi poena esse debet, damni sci-  
 „licet, et sensus.“ Dinocratem autem poenā sensu-  
 „um subditum fuisse, supra satis probavimus: locus  
 igitur in quo inclusus erat, certo certius a limbo,  
 sive illo communi carcere, in quo, ut supra citat.  
 Pantaleon in Tractatu contra grācos ait, nec boni  
 präsentiā, nec mali sensibilem poenam animā expe-  
 riuntur, diversus erat. Illud autem perinde sive  
 purgatorium, sive Tartarus ut in aliquibus missis  
 liturgicis gallicanis dicitur, sive infernus nominatur;  
 de nomine non litigamus, sed de re. --- Ex his

---

\*) Pueris ante baptismum decedentibus hunc locum  
 assignat laudatus Pantaleon. „Ss. Patres latini, ut  
 „Augustinus, Gregorius, et cāteri, quippe qui  
 „eodem spiritu repleti fuerunt, determinantes de  
 „nomine loci, nunc locum Sinum Abrahā, sive  
 „limbum nominaverunt, in quem ante adventum  
 „Christi Ss. Patres descendebant. Nunc vero pu-  
 „eri, qui absque baptismo decedunt, sine poena  
 „sensibili, ut dietum est, detinentur.“ Confer  
 et Georg. Franc. Wiesner: Specimen Histo-  
 riā opinionum de sorte infantium sine  
 baptismo mortuorum. Wirceburgi  
 1783.



omnibus liquet, quam false scripserit, contortéque nostrum dogma de purgatorio perverterit Martinus Geierus in Opusc. Philolog. Tractat. de precibus pro defunctis pag. 483.“ Discrimen precum pro defunctis aperte satis deprehenditur pro ratione ätatum ecclesiä. Jnitio namque nil aliud ipsä erant, quam panegyrici, devotäque pro finitis piorum certaminibus, decursoque stadio gratiarum actiones. Adeoque orabant, non ut animas juvarent, sed pium solum, atque nondum intermortuum erga ipsas sibi contesseratas affectum, itemque spem, et fidem suam proderent. Postea paulatim accessit id, ut orarent studio augendi ipsarum felicitatem, adeoque juvandi in bono, tandem superadditum, ut liberare etiam conarentur demortuorum animas a malo, tormentisque purgatorii.“ Alii ex Protestantium numero viri litterari aliud excogitaverunt effugium, nescio, an non magis risu dignum. Hausit, ut ajunt --- Ecclesia catholica hanc pro defunctis orandi consuetudinem ex Judaismo, aut Platonismo, sicut et doctrinam de purgatorio. Jta Antonius Van Dale libr. de Superstitione et falsa prophetia pag. 91., Potterus in annotat. Clement. Alexandrin. etc. --- Ast hariolantur isti, aut certe in re seria jocantur. Certe ipse Van Dale in libro de Historia baptismorum pag. 459. ad Tertulliani locum lib de exhortat. annotat: „Fiebant itaque nec solä commemorationes; verum et orationes pro defunctorum spiritu, pro quo annuas oblationes reddebant; et commenda-

„bant istos Deo per Sacerdotem, sive is Episcopus  
 „esset, sive aliquis ex Presbyteris. Vide igitur hic  
 „initium \*) precationum pro mortuis.“ Sed lusum  
 viris istis ad momentum permittamus, ut eo citius  
 eos confundere possimus. Etenim vel veteris eccle-  
 siä Patres hanc de purgatorio ex Judaismo, aut  
 Platonismo haustam, ut asserunt, sententiam catho-  
 licä veritati \*\*) convenientem iudicarunt, vel non?

\*) Melius loco verbi: initium posuisset Van-  
 Dale to Us um. Unde enim probabit, Tertul-  
 liani tempore incöpile praxin pro defunctis orare  
 Demirari etiam licet, quae legimus in der Reinbar-  
 dischen Dogmatik im Auszuge. München 1802. S. 186.  
 Seite 178. Fol. 12. Die Meinung der Reinigungsstra-  
 fen nach dem Tode ist sehr alt. Die Lehre vom Feg-  
 feuer aber hat in der Schrift keinen Grund, und hat  
 den schändlichen Aberglauben, und die niedrigste Gewinn-  
 sucht befördert.

\*\*) Simili modo argumentatur G. J. Blank Geschichte  
 des Christenthums. Göttingen. 1818. II. B. Seite 174.  
 von dem h. Apostel Paulus. — Noch leichter erklärt es  
 sich aber, wie in dem Ganzen der neuen Religionstheo-  
 rie, welche sich jetzt in der Seele von Paulus ausbildete,  
 auch sonst noch manches aus seiner ältern jüdischen Theo-  
 logie, und Philosophie zurückbleiben konnte. Dies machte  
 nicht nur mit manchem, was er aus den Schriften des  
 alten Testaments, sondern auch mit einigem, was er,  
 und seine Lehrer aus andern Quellen geschöpft hatten  
 der Fall seyn, denn warum hätte er es aufgeben sollen

Si non; et tamen eam admiserunt, approbarunt, nescio, an non omnis subito evanescat autoritas apostolicorum virorum; profecto cum multas alias ex Judaismo, aut Platonismo ipsis notas disciplinas aut doctrinas rejecerunt, damnarunt, refutarunt; quare hanc aliis tradiderint ut veram, illud est, quod capere non possum. Si autem veritati catholicae convenientem judicaverunt, quod et ex ipsorum scriptis clare elucet, sequitur hanc esse unam ex illis veritatibus, quae in omnium gentium et Judaeorum, et gentilium confesso erat omni aetate, nunc autem a quibusdam, qui sese jure Protestantes vocant, in dubium vocatur et negatur. \*) Ve-

---

wenn es sich noch neben den neuen Grundideen, die er aus der Lehre Jesu aufgefaßt hatte, behalten ließ? So behielt er also höchst wahrscheinlich von der Schöpfung der Welt, und des Menschen, von dem Sündenfalle der Menschen, von der daraus entsprungenen Verderbniß in dem Körper, und in der Seele des Menschen, von Engeln, und Dämonen, mit ihrem Einfluß auf den Menschen, nur die nehmlichen Vorstellungen, die er schon vorher gehabt hatte, denn sie paßten ja nicht nur ohne Zwang zu jenen neuen Ideen, sondern es konnte ihm leicht bekannt gemacht worden seyn, daß sie auch Christus hin und wieder bestätigt habe zc.

\*) Sententiam hanc longiori stylo deprimit Cla. Italus Petrus Lazari Diss. de falsa veterum christianorum rituum a ritibus Ethnicorum origine, — Germanus ex numero Protestantium Laurentius,

runtamen häc extemporanea est nostra digressio, et extra Rombum, ut ajunt, präsertim cum nostris diebus ex edicto regiä Majestatis borussicä et festum agant pro militibus nuper in Bello et pugna cäsis, et pro iis publice in templis orent conjuncti, unitique Evangelici, sive Lutherani, et Reformati.

---

§. XIII.

§s. Cruéis, ejusque signi virtus specialis ex actis legitime probatur.

---

Missio Sam. Basnagio alter, isque senior occurrit Baronianä eruditionis invidus Zelator Richardus Montacutius Anglicanus, Norwicens. Episcopus, qui jussu regis Anglorum in Baroniana palästra sese exercens, ut suä ecclesiä falsa defenderet dogmata, audax säpius contra nosträ ecclesiä doctrinam

---

Mosheim Diss. historic. theolog. de studio Ethnicorum christianos imitandi. Helmstadii 1729. — Gallus Cl. Calmet. Diss. in Proverbiorum libr. Tom. II. Diss. V. Test. pag. 190. edit. Wirceburgens — mitto alios. De purgatorio minime ex gentilismo traducto specialiter agit cit. Schad. art. III. Diss. pag. 22.

et disciplinam insurgit. Hunc ipsum Montacutum, ab Henr. Norisio in Cenotaphiis Pisanis pro merito flagellatum, studio sane lubentiori hic tangimus, quia videmus gloriari plurimos a rebus nostris alienos in hoc Baronii adversario. Edidit Richardus Montacutius anno 1640 Londini in folio Originum eccles. libros duos, in secunda parte fol. 77. N. 123. de signo crucis contra eminentissimum annalium parentem, et Cardinalem disputans, non quidem diffitetur veteres christianos in quotidiano usu sapius sese munisse signo crucis. *Erat, quo se muniebat mulier* (de qua S. Epiphani.) *signum crucis, nec Casaubonus, opinor, voluit, certe non debuit inficiari — scribit —* et N. 126. *Plena sunt, agnosco, antiquorum patrum scripta, antiqua ecclesiae annales, et memoria, pleni testimonii de signaculo crucis salutari corporibus ad omnem statum, situm, motum, locum, actionem tempore quocunque imprimendo.* Sed huic signo specialem aliquam tributam fuisse virtutem, et efficaciam, negat. *Non tam insigniter de nudo signo — ait N. 125. \*) —*

---

\*) Duo praecipuis attendendi sunt errores Montacutii. Primo omnem Crucis signo abnegat virtutem, et efficaciam: habetque illud tanquam caeremoniam. Secundo putat, catholicos huic nudo signo, abstractivè sumpto tribuere miraculosam ex se, et opere operato virtutem, et potentiam.



*delirabant illustrissimi antiquioris ecclesiä proce-  
res. \*)*

Non delirabant, Montacuti! veteres, sed quä ex apostolica accepere traditione, referebant, usurpabant, adorabant. Veruntameu ne in inanem nos labamur [Logomachiam, claris explicemus verbis, qualem, quantamque veteres dedere signo crucis salutarä virtutem., qualem vim tribuere patrandi mira, et quomodo. Nudo huic signo, abstractivè sumpto, nihil tribuebant, nihil enim huic a natura inditum mirä potentiä.] Quis enim, recte scribit Petavius lib. XV. de Incarnat. C. 10. N. VIII. fol. 314, edit. Antwerp., tam absurde, tam sinepte deliret, ut hoc sibi persuadeat, crucis effigiem propria quadam virtute mira häc prästare, hoc est: materiam ipsam ligneam, aut ex metallo conflantem. — Erat crux, crucisque forma ante Jesu Mortem; nullius tamen potentiä, aut virtutis, sed quia crux jam est signum redemptionis, signum victoriä Jesu salvatoris nostri, quo confregit Draconis potentiam, liberavit moriens captivos filios Adä, spe maxima confidebant omnes veri filii novi Adä, Jesu Christi in eo. Potuit sane Filius Dei huic signo, quia suum signum, virtutem addere subli-

---

\*) Inter superstitiones, aut abusus novissime J. C. W. Augusti christ. Alterthümer pag. 169. recenset signum crucis.

miorem, et quod fecerit, patrata palam faciunt in infima antiquitate mirabilia.

Präclara sunt Encomia, quae eructarunt de S. Cruce Patres in concilio Atrebatensi ann. 1025. apud Harzheim Concil. German. Tom. III. fol. 92. congregati, digna, quae hic proferantur, quia Ecclesiâ sententiam explicant, et dogma confirmant. „Quoniam adversus crucem dominicam et vivificum lignum viperei dogmatis venena funditis, dicentes: hoc ex errore hominum venisse, quod venerantur eam, cum nullam magis in se virtutem contineat quam extera ligna silvarum, præter quod opere manuum hominum est efformata, pro quo nulla veneratione digna est; pauca e multis, quae ad hanc causam videntur, edicimus.

Scimus namque, quia omnis substantia, quae Deus non est, creatura est, et quae creatura est, Deus non est. Ligno igitur nihil divinum damus, ut illud adorandum judicemus, quia inter cæteras, quae Deus non sunt, suae naturae substantiam sumit: sed si rationem mysterii diligenter investigetis, non solum ab hominibus, sed etiam ab Angelis dominicam crucis vexillum adorandum videbitis, quae quidem aperuit sacramentum, quod nesciebant. Primus namque Adam inobedientiae mucrone interfectus est a ligno scientiae boni, et mali, et nos secum duxit. Veruntamen lignum scientiae boni, et mali non dicimus secundum suam naturam

in se mortem habuisse, sed fuit in causa, ut in eo probaretur obedientia parentis nostri, sive vindicaretur inobedientia, quo contra lignum vitae in causa sempiternae vitae est. Hoc lignum attulit vobis Dominus noster Jesus Christus per lignum crucis in ecclesia nostra, ut qui debitores eramus per lignum scientiae boni, et mali, faceret nos vitae capaces per lignum st. crucis. Et sicut illud ex sua natura non habuit mortem, ita lignum unde nobis vita conceditur, non in se habuit hanc virtutem, sed ex illius virtute, qui infirmus fuit ex nobis, vivit autem ex virtute Dei. Regnavit enim mors, et Diabolus ab inobedientia ligni scientiae boni, et mali, superata est eadem mors, et diabolus per inobedientiam ligni Ss. crucis. Quis ergo negare audeat jure ab hominibus venerari, per quam Diabolus victus, et mundus Deo operante salvatus est? Quis autem, nisi insaniae furis agitatus, neget vexillum, atque virtutem dominicae crucis esse colendam, qui B. Andream . . . . tanto eam passionis amore expetere, atque sedula veneratione audiat praedicare. Cum vero, inquit scriptura \*), pervenisset ad locum, ubi crux parata

---

\*) Id est; Epistola a Presbyteris Achajae scripta. Vide supra. Similia verba legimus apud Gerlochium lib. de Gloria passionis. Tom. I. P. II. The-saur. noviss. Anecd. B. Pezii fol. 197. Ex quibus Authentia Epistolae confirmatur.

erat, videns eam a longe exclamavit voce magna dicens: Salve crux, quae in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam Margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus noster, timorem terrenum habuisti: modo vero amorem coelestem obtinens, pro voto susciperis. Sciens enim, quanta in te gaudia habeas, securus, et gaudens venio ad te, ita ut tu exaltans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, et desideravi te amplecti. O bona crux, quae decorem, et pulchritudinem de membris Christi suscepisti; diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita, et aliquando concupiscenti animo praeparata; accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Et Paulus Apostolus: *michi, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.* Glorificantes igitur crucem dominicam, christum quasi pendentem in ea mente invocamus. Quem vero invocamus, ipsum adoramus. Prosternimur corpore ante crucem, mente ante Deum; veneramur crucem, per quam redempti sumus, sed illum, deprecamur, qui nos redemit.“ \*)

Ecce! Doctrinam ab Apostolis traditam in con-

---

\*) Minutii Felicis et Tertulliani loca de crucis ligno erudite explicata vide apud Mamachium. Antiq. Christ. Tom. I. pag. 127.

cilio nobis communicarunt Patres Attrebatenses, ut merito haec appelletur *Doctrina apostolica*, quam et ex dictis factisque ethnicorum demonstrare possumus. Ex ethnicorum accusationibus — ait Mamachius I. cit. pag. 129. plane cognoscitur, jam usque ab ipso fere initio ecclesiae coli a christianis crucis consuefse. Sed haec extra nostra lineam, quae maxime acta respicit Martyrum, qui tantam signo crucis tribuere efficaciam, ut eos ad coelestem portum fluctuantes ducat, et sistat. \*) In Confessione enim, in carcere, in stadio, in pugna, in rotis, in rogis et flammis, in quocunqne mortis periculo et genere, signo crucis se muniebant. \*\*) Cur autem

---

\*) Hæc verba Nili apud Photium Biblioth. cod. 276. fol. 527. edit Andrea Schottii, „Crux, quam gubernatori fixisti, vertitur naturae naufragae in clavam navis, et ad coelestem nos portum fluctuantes ducit, et sistit.“

\*\*) Oranti Euphemiae apparet super caput ejus signum illud, quod christiani adorare, et appingere solemne habent: putoque appetentis passionis Symbolum — Asterius Amasen, in Oratione de S. Euphemia. Apertissime ex his Asterii verbis demonstratur, extitisse apud Christianos hujus aevi Symbola crucis, sive Crucifixos, unde erroris convincere possumus I. C. W. Augusti Christi. Alterthümer Seite 214. Wichtig ist indeß die Bemerkung, daß das Crucifix offenbar eine spätere Erfindung ist,



hoc, nisi de sublimiori hujus signi potentia certi, de efficacia bene instructi. „Tum quidam ministro-  
rum - scribit Lucius Caecilius Lactantius de morte  
persecutorum Cap. X. — scientes dominum, cum  
assisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis  
immortale signum. \*) Quo facto, fugatis daemo-

und sich in den ältesten Denkmälern nicht findet. Vide Mabillon. loco jamjam citando. Causam hanc probare facile adhuc possumus ex objectis Celsi apud Originem lib. II. Contra Celsum. N. 47. „In quo Celsus imitatur vilissimos eorum, quos nostra doctrina habet adversarios, qui putant, quod Christus cruci affixus fuisse perhibeatur, consequens esse, ut omnes crucifixos veneremur.“ Ad quem Originis locum hoc Monachi benedictini annotant. Nonnulli Pagani putabant, omnes crucifixos a Christianis coli. Et Caecilius Ethnicus apud Minutium Felicem in Octavio. „Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum caeremonias fabulantur, congruentia perditis, sceleratisque tribuit altaria, ut id colant, quod merentur.“ Plura legenda apud Mamachium Tom III. antiquit. a pag. 49 — 52.

\*) Apertissimum virtutis crucis documentum, quod haud facile illudere possunt adversarii. Alibi nominat Lactantius crucis signum, signum coeleste, quod S. Cyrillus Alexandr. Murum firmum et impenetrabilem et Lactantius lib. instit. II. l. 27. inexpugnabilem vocat.

„nibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices,  
 „nec solitas in extis notas videbant; et quasi non  
 „litassent, saepius immolabant.“ In actis S. Boni-  
 „facii M. apud Ruinart Tom II. pag. 185. legimus.“  
 Sanctus autem Christi Martyr facto signo crucis  
 missus est in ollam . . . et infra: S. vero Martyr  
 facto signo crucis rogavit spiculatores, ut largiren-  
 tur ei parvam horam. „Et in actis St. Theodoti et  
 „caet. Mm. Rursum ergo perterrefacti crucis sig-  
 „num suae quisque impressit fronti, et mox appa-  
 „ruit eis crux illustris, quae videbatur ex parte  
 „orientali radium ignitum emittere: ad quam ap-  
 „paritionem mixtus gaudio timor fuit, et genibus  
 „flexis adoraverunt adversus locum, unde crux ap-  
 „parebat.“ Et §. 21. „Atque haec dicens, totum-  
 „que corpus suum signo crucis muniens, in stadi-  
 „um processit animo imperterritus.“ De Romano  
 M. legimus: „Ejiciebatur portans in humeris cru-  
 „cem, et in fronte signum regale.“ Confer et acta  
 S. Mariae apud Baluzium Miscellaneor: lib. II.  
 pag. 115. — De S. Euplo. „Tunc B. Euplus sig-  
 „naculum Christi faciens in fronte sua dixit: quae  
 „tunc dixi, et nunc ea confiteor.“ Et S. Philip-  
 pus Episc. Heracl. orabat: „Pater D. N. Salvatoris  
 „Jesu C. qui es lumen invictum, qui dedisti mihi  
 „signum crucis et Christi.“ In actis quoque S. Gor-  
 dii exemplum invenimus, qualiter signum crucis  
 confortavit martyres. „Haec ubi dixit Christi mi-  
 „les, crucis se signo communit, et animi magna

„constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato ad supplicium hilaris contendit.“ Et in actis Ss. Firmi, et Rustici. „Cumque fuisset factum, iussit eos in mediam flammam mitti: sancti vero Martyres dei facto signaculo Christi, jactati sunt in medium flammae, et statim divisa est flamma in quatuor partes, exurens eos, qui eam accenderant; sanctis vero Domini non est exustus nec capillus capitis.“ Tom III. Ruinart. pag. 437.

Haec omnia clare ostendunt, creditum ab antiquis, miram signo crucis inesse vim, unde consuetudo orta, tales cruces ex auro, argento, ligno, aliisque ex rebus formandi, vel moribundorum in pectore \*), languidorum in membris immo mortuorum in Sarcophagis ponendi. Plura hujus generis exempla invenimus apud Mamachium, Aringhium, Lamium, Gretserum, aliosque ita ut supervacaneum judicemus, longiorem hanc deducere demonstrationem.

---

\*) Hic usus viget adhuc apud catholicos: ejus antiquitatem ostendit Mabillonius Saec. II. Benedict. pag. 856.

## §. XIV.

Acta clare demonstunt, a primis ecclesiae christianae temporibus Sanctos honore religioso fuisse veneratos.

---

Inter alias, quas quidam contra nostram Sanctam catholicam ecclesiam audaci voce effutiunt criminationes; eam arguunt recens introductae disciplinae circa cultum et intercessionem sanctorum. — Facile devinare aliquis poterit, scribit *Livin. Frederic. Werneccius Diss. de Pontificiorum ritu consecrandi sanctos. Wittenbergae 1678. §. 12.* a quibus ritum [hunc Pontificii didicerint. Inter Christianos fertur primus author miscendae iuvocationis sanctorum inter publicas ecclesiae preces Petrus Gnaphaeus, Presbyter Chalcedoniensis, postea Episcopus Antiochenus \*); qui decrevit, ut in omni

---

\*) Ridicula sane Wernecci assertio! Quem enim aetholica Ecclesia tanquam haeticum rejecit, et damnavit, eum ducem secuta in cultu sanctorum? Vixit Petrus Gnaphaeus saeculo V. ad finem vergente, cognominatus Fullo, quia, cum esset Monachus, fullonis artem exercuerat: tantos tumultus, et factiones excitavit Antiochiae ut Martyrius Episcopatu cedens diceret: Clero inobedienti, populo contumaci, et civitati haeresum,

precatione Dei genitrix nominaretur, et divinum ejus nomen invocaretur. Quem errorem procul dubio a gentilibus hausit Gnaphaeus, quorum opinio fuit Deos non misceri hominibus, et proinde opus esse daemonibus, et defunctorum animabus, tanquam internuntiis, et patronis, qui preces hominum ad Deos perferent . . . ex quibus apparebit, aut nullam, aut exiguam dari differentiam inter Sanctos Pontificiorum, atque daemones Platoniorum etc. — Mitius, saniusque sese expressit Celeberrimus apud suos Joannes Gerardus lib. 13. de loc. theolog. pag. 91. docens: honorandos esse sanctos, non vero invocandos.

Relinquimus alios, qui magistrorum suorum Lutheri et Calvini tramitem terunt: quae enim magistros mala mente contra matrem ecclesiam concepta obcoecavit passio; ea et discipulos caligat, alligatque. \*)

---

scelerumque sordibus infectae, se nuntium remittere. Insiliit mox in sedem Patriarchalem Gnaphaeus haereticus. Sed a Synodo Episcoporum, cura Leonis imperatoris collecta depositus, et damnatus, quia renovans Theopaschitarum haeresin S. Trisagio addidit haec verba: qui passus est pro nobis.

\*) Haec saniori animo scribere possumus, quam quae Wernecoins adjecit §. 17. „Quanquam quilibet



Profecto sola Martyrum acta sufficerent, ad demonstrandum, primis ecclesiae saeculis Sanctos cultu religioso fuisse veneratos, primosque christianos sese ipsis, tanquam apud Deum intercessoribus et patronis maximopere recommendasse. In actis enim S. Ignatii Ep. ex editione Usserii legimus: „Impleti „gaudio haec videntes, et glorificantes Deum Dato- „rem honorum, et beatificantes Sanctum, manifes- „tavimus vobis diem et tempus, et secundum tem- „pus martyrii congregati, communicemus athletae, „et virili Christi martyri . . . glorificans in ipsius „venerabili et Sancta memoria Dominum nostrum „Jesum Christum.“ Ecce! Convenerunt fideles in unum ipsa die annua Martyrii, festum \*) agentes Episcopi sui, beatificantesque ipsum, certe non cultu profano, aut civili, sed religioso; communi- carunt porro Athletae et Christi Martyri, quod est: sese ejus meritis et apud Deum patrociniis commen- darunt. Hanc nostram exegesis confirmamus verbis Smyrnensium in Epistola de passione S. Polycarpi. „Christum — ajunt — Dei filium adoramus, et

---

bonus serio expetat; ut Pontificii tandem aliquando resipiscant; cernimus tamen eorum idololatriam quo- tidie majora sumere incrementa.“

\*) Smyrnenses ut agerent festa Ss. Martyrum, prae- ceptum Domini dicunt. „Conventus alacri- ter factus, ut praecepit Dominus, ad diem, natalemque Martyrii. §. 14. in Epist.

„colimus; ejus tamen martyres, et discipulos fide-  
 „les, et devotos milites honorifice, et libenter am-  
 „plexamur; oramus etiam, ut nos socii ipsorum,  
 „et condiscipuli mereamur.“ Aperte, me iudice,  
 hic Smyrnenses, seu Christiani saeculi secundi, dis-  
 crimen ostendunt inter adorationem Dei, et vene-  
 rationem sanctorum: unde revera capere nescio,  
 qua fronte Werneccius §. XI. hoc discrimen vocare  
 valeat figmentum, aut Montacutius, excogitatum  
 scholasticorum. „Has distinctiones scitulas, et cu-  
 „riosas — scribit Montacutius Tom II. Orig. fol.  
 „86. — de cultu relativo, et absoluto, de Latria,  
 „Dulia, Hyperdulia excogitasse acumina scholastica,  
 „quarum non capax est ignara plebs, indocta, rü-  
 „dis multitudo. Non est enim consilium in vulgo,  
 „non ratio, non mens, non intellectus.“ Ante scho-  
 lasticos longe tempore disputabat S. Augustinus  
 contra Faustum lib. 20. C. 21. „Populus christia-  
 „nus memorias martyrum religiosa solemnitate con-  
 „celebrat, et ad excitandam imitationem, et ut me-  
 „ritis eorum consocietur, atque orationibus adju-  
 „vetur; ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo  
 „martyrum, quamvis in memoriis martyrum, con-  
 „stituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis  
 „Ss. corporum assistens altari aliquando dixit. *of-*  
 „ferimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed  
 „quod offertur, Deo offertur, qui martyres coro-  
 „navit, apud memorias eorum, quos coronavit, ut  
 „ex ipsorum locorum admonitione major affectus  
 „exsurgat ad acuendam caritatem, et in illos, quos

„imitari possumus, et in illum, quo adjuvante possumus. Colimus martyres ergo eo cultu dilectionis, et societatis, quo et in hac vita coluntur Sancti Dei homines. . . At illo cultu, qui graece „*Latria* dicitur . . . nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.“ Confer quoque Acta Conc. Nicaeni secundi, aliosque Patres a nostratibus citatos. De mente, et intellectu vulgi, quod adducit Montacutius, agemus in altera Epistola de Probationibus per Catechismos.

Nos e diverticulo ad viam redeamus, et proferamus pro cultu Sanctorum plura documenta Saeculi secundi ex actis Ss. Epipodii, et Alexandri martyrum, qui passi sunt anno 178. in quorum actis §. 7. legimus. „Dum alternis diebus festa illorum proveniunt, et illos inseparabili veneramur affectu: non singulis diebus, sed geminatis observamus, quibus utrumque bis colimus. Et sicut nudiustertius solemnitas coelo insertum Epipodium celebravit, ita hodierna festivitate b. Alexandrum pervenisse ad regna coelorum gaudeamus.“ — In Passione S. Episcopi Tolosani Saturnini, quae scripta anno 300, pluribus in locis memoratur cultus huic sancto a fidelibus praestitus, imo S. Hilarius de antecessoris sui obitu instructus et merito, effossa usque ad ipsum sepulchrum ligneum terra, sanctas veritus commovere reliquias, transvolutionem destitit per multo latere diligenter extruxit, Basiliculam

etiam admodum parvulam vilibus lignis ad locum tantum orationis adjecit.

Haec ex primis saeculis desumpta sufficere possent ad obstruendum os Werneccii falsa loquentis, aliorumque pedisequorum, veruntamen cum in actis S. Bonifacii, qui saeculo tertio exeunte passus dicitur, tot et tam clara legantur honorifici, religiosique cultus indicia, nefas remur praeterire illa. „Audi-  
 „quosdam, — aiebat ad S. Bonifacium Domina Aglacs  
 „— Christianorum dicentium, quoniam si quis mi-  
 „nistraverit sanctis, qui propter nomen Domini Jesu  
 „Christi agonizantes, et certamen sumserunt prop-  
 „ter eum, consors eorum fiet in die illa terribilis  
 „judicii Dei. Et quia didici a quibusdam, quod  
 „servi Christi agonizantur adversus diabolum in  
 „partibus Orientis . . . Perge igitur ad illas par-  
 „tes, et affer nobis reliquias, id est: corpora sanc-  
 „torum martyrum: si quo modo servientes, atque  
 „ministrantes eis, nec non oratorias domos aedifi-  
 „cantes eis dignas, per sanctas passiones eorum sal-  
 „vemur tam nos, quam alii multi . . . Accepit au-  
 „tem puer Bonifacius aurum copiosum ad compara-  
 „tionem Ss. corporum . . . sed et unguenta diversa  
 „ad honorem sanctorum Martyrum.“ — Ex quibus  
 verbis non solum communis Christianorum saeculi  
 illius doctrina circa cultum Sanctorum Martyrum  
 eruitur, sed et Reliquiarum veneratio, peregrina-  
 tionum usus, et templorum, quae in honorem mar-

tyrum a fidelibus pie religioseque erecta erant, existantia; immo plus adhuc in his ipsis Bonifacii actis invenimus. Supra citatus Gerardus minime quidem negat, Sanctos honorandos esse, non autem invocandos; sed et hujus disciplinae dabimus signa. „Magnus Deus Christianorum, magnus Deus sanctorum martyrum. Obsecro vos — clamabat ipse „Bonifacius — famuli Christi, intercedite pro me, „ut et ego dignus efficiar consors vester inveniri.. et §. 16. Angelus Aglae apparens dicebat: „Per ipsius Bonifacii interventionem universa peccata relaxabantur tibi.“ — Haec confirmantur illis, quae in actis Ss. Victoris et c. M. ex saeculo tertio leguntur. „Multis usque in hunc diem miraculis „honorantur horum corpora, multaque beneficia pie „petentibus ipsorum meritis conferuntur per deum, „et D. N. Jesum Christum.“ Ipse quoque Martyr Theodotus anno 303 ad fratres, et conservos suos ante mortem agebat. *Deinceps in coelis cum fiducia pro vobis ad Deum deprecabor.* Lambebant, et osculabantur non raro fideles martyris membra, scientes, quantum in eo divini esset auxilii, ut in actis S. Philippi Heraclens. Episc. 304. habetur, aut osculans Felix dexteram ejus, rogans, ut sui memor esset, ut in actis Ss. Fructuosi, Eulogii etc. asseritur.

Ne autem fors Gerardi collega quis putet, haec plerumque ex saeculo quarto tertiove desumpta testimonia esse antiquissima, quae nos pro intercessi-



one sanctorum afferre valemus; ecce! redeamus ad priora tempora. In actis Martyrum scillitanorum secundi saeculi legimus „Consummati sunt Martyres „mense Julio die 17mo, et intercedunt pro nobis „ad Dominum Jesum Christum. Similia in actis supradictis S. Saturnini E. „Vigiliis, Hymnis, et „sacramentis solemnibus honoramus, ut eorum patrocinia, atque suffragia in conspectu domini „orando quaeramus, honorando mereamur.“ Et in actis Ss. Triphon, et Respicii, quorum festum diem, et Martyrium „convenientes religiosi viri, et sacerdotes Domini dedicaverunt cum omni honore, et „disciplina reverentiae participarunt mysterium redemptionis nostrae, commendantes animas suas „sanctis b. Martyrum patrocinis.“

Ex his clare apparet, quam antiqua, et vere apostolica sit doctrina Concilii Tridentini, decidens; licitum sanctumque esse colere, ac invocare sanctos apud Deum regnantes, quam, si bene intelligerent illi a nostris sacris alieni theologi, nunquam cavillari auderent, aut tot falsis opinionibus, et figmentis conspurcari. \*) Nonnulli enim docent, catholicos uno die pro iis orare, quos alio tanquam

---

\*) Werneccius scribit §. II. Persuasi sunt Pontificii, necessarium esse ad salutem, ut aliquis credat, Papam errare non posse etc. Quis non miretur, hujus theologi insectiam? Videat, legatque regulam fidei a Veronio editam, et discat.

apud Deum intercessores invocant; praesertim Orientales publice pro aliquibus sanctis orare solere, inter quos et ipsa B. Virgo Maria apparet in Liturgia Aethiopica.

Sed et illud falsum est, catholicos pro illis Sanctis orare quos invocant. Nullum nobis vestigium assignare valebunt. Et cum nobis opponunt Liturgiam aethiopicam, in qua ut referunt, pro Sanctis, et praecipue pro B. Dei genitrice oratur, minime profecto sentiunt ipsi, ex hac ipsa Liturgiae citatione nobis concedere debere purgatorium, cum in illa ipsa oratione Deus oretur, ut ipsis peccata dimittat, requiem illis praestet, ac in beatitudinem inducat.

Sed quid illud tandem erat — ut ait Cla. Euseb. Renaudotius Tom. I. Collect. Liturg. Oriental. pag. 529. edit. Paris 1716. — cum aethiopes orare, et Liturgiam offerre pro mortuis certissimum sit: quod in reformatione piaculum judicatur. In ea parte disciplinae servanda reliquas ecclesias imitati sunt, et in traditione veteri permanserunt. Cum ad beatos et Sanctos pertinere etiam voluerunt haec pietatis officia, gravissime erraverunt, nec ulla ratione possunt excusari, siquidem ita sensitse eos certum erit. Verum ut ita de illis existimetur, firmioribus argumentis opus est, quam sunt ea, quae ex ista oratione ducuntur, in qua describenda facilius est peccasse ibrarios, quam aethiopes a communi alexandrinae ecclesiae disciplina defecisse, praesertim, cum si ita

foret, contradixissent sibi ipsi. Nam eos, pro quorum absolute orare videntur, invocant, ut eorum precibus apud Deum adjuventur.

---

§. XIV.

Monumentum insigne in actis Ss. Saturnini etc. Mm. pro dissolutione matrimonii rati per votum solemne.

Sacrum Concilium Tridentinum Sess. XXIV. Can. 6. definit: *Siquis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem non dirimi, anathema sit.* Demirati sunt hanc universae, in unum congregatae ecclesiae decisionem omnes, qui ex adversa parte steterunt, et nonnulli, qui catholicis sacris addicti erant. Totum mundum fuisse miratum, ait Suavis, vel quisquis latet sub hoc nomine, quod talis editus fuerit canon; sumpserunt et inde ansam illi, quae nihil religiosum, quod nostra habet ecclesia, hanc sobriam matrem cavillandi; alii autem et quidem domestici satagerunt justitiam hujus canonis defendere, sed variis ita speciebus, rationibusque, ut potius nuditatem, quam divinum in eo invenire crederes splendorem; rursus alii hunc ad canones disciplinares amandant, qui pro varietate temporum mutari pos-

sent. Veruntamen ut vera dicam, non ex interpretationibus quorundam theologorum, aut arbitrato doctorum privatorum sensus concilii universalis metiendus est, sed ex ipso concilio, aut voce matris ecclesiae. Suam inter canones dogmaticos Concilii Tridentini Patres assignarunt nostrò canoni sedem, et id quidem non ex inadvertentia, sed studio, non ex improviso, sed deliberate omnino, non semel, sed tertia vice. Vigesima enim *secunda Julii primo* theologis, Patribusque exhibiti canones de matrimonio examinandi, inter quos octavus de dissolutione per matrimonium ratum apparet; *septima* dein *Augusti* anni ejusdem 1563. iterum canones propositi, ubi dogmatici specialiter sejuncti conspiciuntur a canonibus disciplinariis, seu super abusibus; inter dogmaticos noster hic est ordine sextus, sicque audit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per personalem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Tandem *undecima Novembris* in sessione universali ultimato examinatus et decisus est canon supra allatus. Sed in ipsa hac sessione hic canon suos invenit contradictores, unde et magis ejus dogmatica decisio apparet. „Lotharingio Cardinali, ut „scribit Pallavicinus lib. 23. Cap. 9. displicuit anathema sexti canonis, ubi dicitur, per solemnem „professionem solvi matrimonium non consummatum; comprobavit tamen, ubi majori parti probatur, sed secundum verum concilii mentem.“

Qualis autem concilii mens fuerit, quam in partem collimaverit, in dogmaticam, an in disciplinarem, ex supra exhibitis 22da Julii, et 7ma Augusti colligere merito debemus. Dogmaticum igitur hunc canonem esse, recte annuntiant saniores theologi, etsi in explicatione secum litigant, an ex divina lege, an ecclesiastica haec oriatur dissolutio. Ex divina nos remur traditione dissolvi, et praeclarum hujus traditionis in actis Ss. Martyrum Saturnini et caeterorum invenimus vestigium, quod eo magis aestimandum, quia ex saeculo tertio exeunte est, et hucusque a nemine observatum, immo a pluribus altum hujus traditionis per quinque priora saecula silentium objectum fuit. In hos ipsos Martyres apparet quaedam foemina, nomine *Victoria, Sanctissima foeminarum, virginum decus et dignitas confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturae bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis, et integritas sanctitatis*. Huic, postquam plena virginitatis adultum aetatis tempus expleverit, licet reluctanti parentes dederunt sponsum. Arrogabant enim sibi parentes illis temporibus, jus abducendi filias, eisque maritos dandi licet invitis; quam consuetudinem postea reprimere, ac radicare iusserunt variis constitutionibus imperatores. Jus abducendi filias — ait Henricus Browerus de Jure connubiorum lib. I. C. 7. pag. 51. — vetustissimum fuisse,



et apud Romanos, et graecos usurpatum, colligere licet, cum tot, tantisque repetitis constitutionibus opus fuerit, ne id resumerent, repeterentque patres. — Victoria interim clam sese per praeceps dimittit ipsa nuptiarum solemnium die, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terrae suscipitur. . . Liberata — ut acta habent apud Ruinart Tom. II. pag. 394. §. 16. — „igitur nuptialibus taediis, illusoque simul cum parentibus sponso, media paene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad aedem pudicitiae, portumque pudoris ecclesiam, intacta virgo confugit; ibique consecrati Deo, dicatique capitis in perpetua virginitate sacratum crinem inconcusso pudore servavit.“

Agnovit ergo sanctissima Victoria medium, quo jamjam de praesenti contractum, nondum autem concubitu maritali consummatum matrimonium dissolvi legitime posset; privilegium, quod multum abest ut ecclesia illud reprobaverit, aut tanquam insolitum, illegitimumque rejecerit, ut potius approbaverit, ac per conjugis fugientis assumptionem in portum pudicitiae sive virginitatis asyllum, *monasterium* \*) confirmaverit, cujus justitiam, apostolicamque originem omnis aetas christiana perspectam habuit posterior, quam a majoribus traditam

---

\*) Extitisse olim monasteria mulierum, et virorum, infra demonstrabimus ex actis nostris.

custodivit caute. *Singulis enim temporibus, ut Theophilus Alexandrinus in Epist, ad Epiphanium scribebat, Dominus eandem ecclesiae suae gratiam largitur, ut integrum corpus conservetur. Et licet\*)*

- \*) Ex primo saeculo S. Theclae exemplum adduci solet; veruntamen a criticis vercor, ne admittatur. Acta enim hujus Martyris sublestae fidei reputantur, licet ab aliquibus Patribus citantur. Frequentia sunt exempla posteriorum aetatum, quae Cla. Billuart Tom. III. Theolog. Difs. V. art. II. §. IV. de matrim. fol. 716. et Carol. Blascus Difs. de Conversione Conjugat. Tom. I. Opuseul. canon. pag. 221. afferunt. Canon 28. Theodori Cantuariensis confirmat nostrum privilegium: Sponsae monasterium possint eligere, et sponsi non exquisito consensu sponsarum propositum melioris vitae assumere valeant. Interim Theodori Cantuar. Canones haud genuinos esse, singulari Difs. conati sumus probare. Confer Difs. De Capitulis Theodori Cantuar. haud genuinis. Düsfeldorpii 1811. Illa Capitula supposititia, vel saltem aliena manu esse conspurcata odoravit modo emunctae naris Theologus Joan. Morinus Lib. X. Cap. XVII. de Administrat. poenit. fol 761. quia Synodus Cloveshoviensis anno 747. mense Septembr. coacta, Theodoro contraria statuit. Quis credat, ait Morinus, Theodori successorem, Theodoro viro per totum orbem celeberrimo, tam facile derogasse, illius constitutiones vellicasse, novitatis accusasse, caeterosque episcopos unanimi consensu ista probasse!

anteriorum temporum plane deficiant hujus traditionis documenta; nostram jamjam Victoriae exemplum, aliaque ex subsequentibus saeculis cognita dogmatis veritatem astruunt, traditionem conducunt, originem assignant; nihil unquam fidei, dogmatisque ab ecclesia acceptum, nisi quod traditum.

Nec curam nobis ingerere debet, quod professionis monasticae, aut triplicis voti nulla fiat in hunc Victoriae actis mentio expressa. Per quinque enim prima saecula, ut annotat Vanespen J. E. P. I: Tit. XXVII. C. 3. §. 3. adeo indeterminata, ac generalis erat monachorum professio, ut nequidem certam, determinatamque regulam profiterentur; sed eam, quae ad observantiam vitae monasticae conducere videatur, judicio superiorum suscipiant Monachi; ad eamque servandam vi suae professionis se adstrictos credebant. Ad observantiam autem vitae monasticae pertinebant tria vota substantialia. Jmo ut Cla. Martene de antiq. ritibus lib. II. Tom. III. pag. 77. refert quandoque expressam professionem non faciebant Virgines, aut monachi, et tamen per ingressum in sacrum coetum, ac per habitus assumptionem ad omnia adstricti judicabantur. Quid igitur? inquit ipse Martene — Monachi non fuerunt Ss. Patres, qui ante S. Benedictum fuerunt, et professionem non fecerunt? Et hic ingressus, et haec mutatio vestis, irrevocabilis erat Virginum professio, ut Thomassinus ait lib. III. C. 42. N. 9. pag. 335., et longe ante hunc docebat pervetustus Theo-

logus \*) Bandinus in viduis facere votum solenne habitus mutationem, et religiosam vestem. — Nos- tram autem Victoriam perpetuam virginitatem vo-

---

\*) Utor hujus eruditissimi theologi editione prima in folio de anno 1519. Viennae Pannoniae, ex aedi- bus Joann. Singrenii calcographi, expensis providi Alantsce omnium litteratorum parentis, sexto no- nas Maji 1519. quam commodatam accepi a Viro Consultissimo, mihiq; amicissimo Jldephonso Schmitz, olim in Academia Dufsellana Canonum Professore nunc pastore Düfseld. Vidi et in regia Bibliotheca Düfseldorpiensi alteram ejusdem Ban- dini editionem de anno 1555. Septima Martii Lo- vanii, sive Bruxellis in octavo minori, quae mul- tum differt a prima editione in folio, non quidem quoad textum, sed quoad splendorem, adjectam praefationem, quae in prima invenitur, et dis- tinctionum sectiones, et indicem alphabeticum. — Contuli Bandinum cum Lombardo, et aliqualem differentiam inveni. E. G. Lib. IV. Dist. 21. Tit. I. Lombardus ait: Excellenter canones du- os tantum sacros ordines appellari cen- sent, Diaconatus scilicet et Presbyte- ratus, quia hos solos primitiva ecclesia legitur habuisse, et de his solis praecep- tum apostolici habemus. Bandinus vero Lib. IV. Dist. 23. septem ordines recenset, quorum majores Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus sunt. Memorat hic pariter praeter manus im- positionem, instrumentorum porrectionem. De

vifse, vestemque mutavifse, insinuant ipsa acta. Consecrati Deo, dicatique capitis in *perpetua virginitate sacratissimum crinem* iuconculso pudore servavit. Solebant enim Virgines primorum saeculorum ad formam eorum, qui in Judaismo Naziraeatus voto adstricti erant, crinem alere \*), quando sanctimonialium habitum assumebant.

Factum marravimus, mysterium nunc inquiremus. Unde tanta vis professioni monasticae, ut infringere, ac dirimere possit conjugium? quaeri solet. Resp. Quodlibet publicum virginitatis, vel

---

Episcopatu ait: Sunt et alia quaedam nomina non ordinis, sed dignitatum, velut Episcopus propterea sic dictus, quod superintendat, curam subditorum gerens. Episcopi enim supra scopin intendere dicitur. Episcoporum autem ordo quadripartitus est. In Patriarchas scilicet, Metropolitanos, Archiepiscopos, et simplices episcopos . . . Hi omnes Pontifices dicuntur, et summi sacerdotes nuncupantur, hi enim caeteros sacerdotes, et levitas efficiunt, et omnes ecclesiae ordines disponunt, quae, quamdiu in ecclesiae unitate persistunt, incunetanter facere possunt.

\*) Confer Cla. Meinhardi Difs. de Pauli Naziraeatu Tom. II. Thesaur. Philologici de ann. 1702. fol. 473. et Wilhelmi Smitii Tom. I. Lib. Numeri. Cap. VI. pag. 99. — Vide quoque notas RuiPARTII et Baluzii ad haec acta Ss. Saturnini.



castitatis votum, et ab ecclesia acceptum, ex apostolica traditione dissolvebat matrimonium ratum, non consummatum. Verum solemnitate adjecta hoc, quod prius erat commune omnibus publicis continentiae votis, sensim, et pedetentim ecclesiae auctoritate effectum fuit proprium voti certa solemnitate emissi, et tandem solius voti emissi in monasterio: adeo ut data etiam in monasteriis distinctione voti simplicis et solemnitis, peculiare remanserit ex veriori sententia solemniter professorum. Et sic conservata traditio. Ecclesiam potuisse hanc restrictionem facere nemo inficias ire poterit, qui reputaverit potestatem, quam habet in votis interpretandis usque adeo, ut et aliquando irrita reddat. En, ait Carol. Blascus l. cit. pag. 214. ostendendae hac in re apostolicae traditionis expeditissimam viam: quam si quis inire noluerit, gravissimos scopulos offendere necesse habet. Unde autem et voto solemniti tantum privilegium, tanta vis; fors nonnullus perget quaerere? Dicam: ab eo, qui juveni respondit: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, et sequere me;* ab eo, qui Apostolis suis promiserat: *qui reliquerit patrem, et matrem, et uxorem centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Status enim evangelicae perfectionis sanctior, ac sublimior esse nemo legis peritus negabit matrimonio rato, quod ex natura sua indissolubile minime reputant Theologi \*) multi, quibus nos minime

\*) Vide J. M. Carriehii Diss. extemporan. in Cano.

assentire volumus; ino ex prima institutione quodcunque matrimonium indissolubile esse arbitramur, multo magis christianum, cui addegit mysterium sacramenti; veruntamen ita indissolubile, ut Homo separare non possit, quod Deus conjunxerit; minime vero Deo hanc potestatem denegare valemus. Cum praeceptum est, ne homo se jungeret, conjunctos a Deo, perspicue innuitur, sejunctionem ejusmodi Deo reservari, quemadmodum observat Innocentius III. in Cap. 2. de translat. Episc. Deus autem nullibi verbo suo testatus est, se nunquam conjugia legitima, et a se semel juncta dissoluturum. Quamobrem si alterutrum conjugem Deus ad ineundam vitam monasticam vocet; Deo jubenti erit obtemperandum: atque conjugium tunc dissolutum non alia, quam divina auctoritate rescissum videtur, ut ait Alexander III. in Cap. ult. de convers. conjug. in I. collect. Decretal. Ita Cla. Carol. Sebast. Berardi Tom. III. Commentar in Jus Eccles. Cap. III. pag. 191., ubi hanc sententiam elegantiori stylo explicat.

---

nem 6. concilii Trident. Sess. XXIV. Coloniae. 1793. — Per matrimonium publice et libere contractum de praesenti pars una non solum acquirit jus ad corpus alterius, sed et in corpore alterius juxta Apostolum I. Corinth. VII. 4. Hoc laedere, injustitia est, nisi intereadat potestas altior.

## §. XVI.

De Pluralitate dogmatum in primitiva ecclesia,  
et generalitate.

---

Vela retrahere intendimus, finemque huic Epistolae nostrae parti dogmaticae imponere; quando nobis redeuntibus in via subito occurrit vir calamo audacior, quam peritior, qui in suis tribus, quos libello praefixit, titulis summopere gloriari videtur \*) de quo jure dicere possumus, quod sit Hospes in principiis Catholicorum, et impudenter blasphemat, quod ignorat, quem longiori otio altera hujus Epistolae parte, et in ea, quae de Probatione per Catechismos dabimus, refutare studebimus, quem tamen nunc pleno silentio praterire nequimus. Est ille criminalis justitiae borussicus consiliarius Christianus Ludovicus Paalzow, qui pag. 73. docet, *nullos dari fidei articulos* et pag. 267.

---

\*) Das Jubiläum, oder Historisch-philosophischer Versuch über Katholicismus und Protestantismus, und ihre Verhältnisse gegen Fürsten, und Staaten, imgleichen über ihre Vereinigung — Veritati — Herausgegeben von Christian Ludwig Paalzow, Königl. Preuß. Kriminalrath. — II. Titul. Synesius, oder Historisch-philosophischer Versuch 2c. Lemgo, im Verlag der Meyerschen Hof-Buchhandlung.

*religionem his articulis non indigere.* Inanis quidem haec assertio plurimis refutatur argumentis a nostris, et protestanticis theologis; veruntamen cum toties nulla habita veritatis vi, et efficacia haec commenta repetantur, classisque eorum haud parva sit, qui docent, sufficere in Deum credere factorem omnium, et (quod multum est) in Jesum mediatorem; caetera omnia adiaphora esse, cujuslibetque arbitrio relicta \*); non pigebit, ex actis Martyrum

- 
- \*) Parentem sequuntur hi Apellem perversum secundi saeculi Christiani scriptorem, et haeticum. Cum in ipso tanquam speculo nostri praesentantur Indifferentistae, imaginem ejus ab Eusebio Caesar. lib. 5. H. E. Cap. 13. edit. Christosoph. fol. 88. depictam exponere liceat. — „Senex Apelles, quoniam nobiscum congressus, multa nequiter, et improbe dixisse convincebatur, coactus est fateri, non rationem fidei omnino quaerere oportere; sed quemque in ea fide praestare debere, quam professus fuisset. Eos enim qui in Christum crucifixum spem coniecissent, salvos fore, dummodo in bonis operibus sedulo versari reperiantur. Verum opinio de Deo, quae est omnium certissima, apertissimaque, ab illo ad eum modum, quem antea diximus, statuitur, ait enim unum esse principium, sicut et nostra tuetur doctrina. Deinde Rhodon (vir catholicus aprime doctus) ubi totam illius opinionem in medium protulerit, ista subnectit praeterea, cum ego dicebam ad illum. Dio nobis quaeso Apelles, unde ista tibi suppetat demonstratio, aut qui possis unum affirmare princi-

multa fuisse dogmata alia, recensere breviter. Ex supra allatis sole clarius est, inter principales fidei articulos semper positum fuisse dogma de Deo *Trino et Uno*, quod etsi respuerint Ethnici, nec ingenio capere potuerint Christiani; tamen fide firma crediderunt, morteque sua consignarunt. Incarnationis autem mysterium ac redemptionis S. Martyr Victor apud Ruinart Tom. II. pag. 199. tanta verborum energia explicat, ut ea silere peccatum esset. „Illum sane quanta caritate quanta veneratione dignum est adorare, qui cum inimici essemus, prior nos dilexit: qui et deorum turpium no-

---

cipium? Respondit ille, Prophetias se inter ipsas refellere, et propterea nihil omnino vere praedixisse. Nam discrepant inter se (inquit), committitiae sunt, et sibi ipsis repugnant. Verum quo pacto unum sit principium, se ignorare fatebatur: et ita dicere, solum sua ipsius animi inductione commotum. Deinde cum ego jurejurando ab eo extorquerem, ut verum diceret: sancte dejeravit, ne verum dicere, nempe se omnino nescire, qua ratione unus esset Deus ingenuus, illud tamen ita se credere. Ego subridens, illum levitatis ideo arguebam, quod cum se doctorem fateretur, nesciret tamen doctrinam a se propositam ratione defendere.“

Qui semel cum nostris Indifferentistis in aciem progressus disputationis; haec ad unguem omnia profecto expertus fatebitur.



his fraudes aperuit, et ut nos ab illis eriperet, non suam minuens deitatem, sed nostram vestiens humanitatem, inter nos Deus permanens, homo factus apparuit . . . cujus indebita mors debitam nostram abolevit in aeternum: et dum isti Dii, imo pessimi daemones illum innocentem nostra infirmitate velatum, injuste expetunt, quos a se deceptos captivaverant, juste perdiderunt. . . . O quam vivifica mors, quae tot mortuos suscitavit.“ ect. \*)

Similia invenimus dicta a S. Philea Martyre quem citat Eusebius lib. 8. Hist. Eccles. Et S. Theodotus apud Ruinart. l. cit. pag. 305. ait: „De virtute „Domini nostri Jesu ejusque miraculis, deque mysterio incarnationis ejus multa quidem tam prophetae, quam viri spirituales praedixerunt . . . de „morte et passione ipsius, ac resurrectione, quorum „testes Chaldaei, ac Magi, Persarumque sapientissimi . . . primi agnito a se Deo, ut Deo munera „obtulerunt.“ etc. Illum ipsum, quem in praesentio adoraverunt Magi, judicem venturum praedicit S. Martyr Respicius Tom. I. apud Ruinart. pag. 373. „Constanter confiteor Dominum nostrum „Jesum Christum judicem verum, qui singulorum „acta discutere veniet.“

---

\*) Ibi S. Martyr quoque loquitur de justificatione, vita aeterna felice, et infelice, et retributione, ac remissione peccatorum.

Veruntamen non solum ea, quae ad Deum, aut Jesu Christi nativitatem, vitam, passionem, resurrectionem, ac redemptionem pertinent, dogmata tetigerunt, confelsique sunt Martyres; sed et alia plura; inter quae et est de una, sancta, catholica ecclesia. Smyrnenses modo in sua de S. Polycarpi passione epistola *omnibus ubique terrarum Sanctae et catholicae ecclesiae paroeciis* misericordiam optant apud Ruinart Tom. I. pag. 77. In actis Ss. Pionii etc. Mm. iudex quaesivit: Quis vocaris? Pionius ait: *Christianus*. Polemon: cuius ecclesiae? Pionius ait: *Catholicae*. *Nulla enim alia est apud Christum;* apud Bollandianos Tom. I. Februar. \*) Notatu

\*) Quam S. Pionus, et Smyrnenses catholicum vocant ecclesiam; hanc S. Martyr Irenaeus Romanam nominat, ad quam propter potiore principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles. lib. III. contr. haeres. Cap. III. Egregie ergo errant quidam hodierni, Joseph Muth, Leand. Vanefs, sive author opusculi: *Die Bibel nicht, wie viele wollen, qui catholicam a Romana ecclesia discernere, ac diserpere volunt*. Vide, si lubet, Francisci Kramer Fragmenta quatuor, quorum primum isagogicum de religione et ecclesia catholica, sola salvifica, et de Neotericae catholicitatis originibus. — Secundum dogmaticum de sola salvifica religione, et neoterica religionis catholicitate ex scriptura et ra-

digna quoque sunt Verba S. Fructuosi M. apud Ruinart Tom. II. pag. 53. „In mente me habere „necese ecclesiam catholicam, ab oriente usque in „occidentem diffusam.“ — Unde autem devenirem, si omnia, et singula Ecclesiae catholicae dogmata ex actis deducere vellem; nonne Symbolum, quod nos vulgo Apostolicum solemus nominare, toties martyres repetebant, quoties de fide interrogati fuerant. Sed ex animo, quo Sancti Martyres fidem catholicam ubique terrarum, omnibusque hominibus praedicabant, maxime colligimus, hos fidei articulos necessarios cuique ad salutem esse, et extra ovile Jesu, ad quos errantes reducere vellent, non esse spes salutis. „Nostrum munus est, ait S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone N. 38., ut „vitae, et doctrinae nostrae inspiciendae copiam „omnibus faciamus, ne pro iis, qui res nostras sibi „videntur ignorare, poenam eorum, quae caecuti- „tientes peccaverint, ipsi debeamus.“ Refert pariter Theodoretus lib. v. Hist. eccles. Cap. 38. pag. 599. edit. Christorsoph. de S. Benjamin Diacono, cui Rex iussit polliceri, se doctrinam christianam

---

tionem — Tertium dogmat. de sola salvifica ecclesia et neoterica ecclesiae catholicitate ex scriptura et ratione. — Quartum historicum ad praecedentia fragmenta de neoterica religionis, et ecclesiae catholicitate subsidiarium cum assiduis ad novissimam aetatem excursionibus — Tyrnaviae — 1814 — 1817.

cum nullo Mago communicaturum. Legatus quidem recipit, Benjamin Regis mandata effecturum. At Benjamin, cum legatum hac de re ipsum admonentem audivisset, respondit: non posse fieri, ut doctrinam lucis quam a Deo acceperat, non aliis impertiret. Nam abscondere talentum, quantum mereatur supplicii, historiam evangeliorum aperte docere. etc. \*)

Praestat nunc momenta principalia, quae consiliarius tumido ore contra nostros fidei articulos evomit, articulatim referre. Totus eo tendit ipse, ut historioliis quibusdam veris, an falsis, ipsi perinde; divinas veritates vertat in derisum, ac contentum.

Pag. 75. et 87. et 269. ait: *Crederet est nescire: fides praesupponit ignorantium. etc.*

Respondemus: illud quam falsum esse, quotidie experimur. Existere in orbe civitatem E. G. Peru, credo; quis inde concludere velit, me illud nescire. Sunt et alia, quam sensus nostri, criteria veritatis.

Multum porro abest, ut fides praesupponat ig-

---

\*) Quam perverse igitur noster supra citatus Consiliarius pag. 103. scribit: Wenn die christlichen Priester nicht besorgten, daß mit dem Falle der Glaubensartikel auch ihr Ansehn fallen möchte: so würden sie selbige mit kalterm Geblüte, und gleichgültiger betrachten.

norantiam, ut potius fundetur in maximis rationibus, quibus credo. Ne autem iisdem, quibus Consiliarius noster, inanibus verbis perficiamus opus tam sublime, vitiumque committamus, quod in adversario reprehendimus, sine ambagibus breviter notare liceat; discrimen esse faciendum a) inter existentiam *praedicati*, et *connexionem* hujus cum *subjecto*; b) inter *scire*, et *capere*, et c) inter fidem *simplicem*, et *fundatam*. — Existere illud, quod credo, rationibus scio, rationibus persuadeor, viris fide dignis testantibus, factis authenticis demonstrantibus, quibus fidem negare, insanire est: connexionem tamen internam, licet veram, et realem esse credo, altiore id testante autoritate, capere omnino nequeo. \*) De hac ignorantia, seu potius impotentia capiendi loquitur Bellarminus a Paalzow citatus, loquuntur alii theologi, minime vero de simplici ignorantia; illam adorant eruditi, hanc respuunt et idiotae, qui licet fide *simplici* credant, sciunt tamen, quod credunt, et quare credunt; \*\*) doctiores autem fide *fundata* credunt

---

\*) Nitide id explicat Cla. J. M. Sailer. *Grundlehren der Religion*. 1814. — Wer das unerklärliche Wahre nicht annehmen will, bis er es ganz erklärt hat, wird es nie erklären können, und doch mit den Erklärungsversuchen nie stillstehen wollen; also das Wahre nie annehmen wollen — also an das Wahre ungläublich werden müssen. — Seite 74.

\*\*) Athenagoras in *Legation*. C. 1. pag. 297.



demonstrantes fidei articulos singulares rationibus multis; diversa tamen, qua aliae demonstrari solent scientiae, methodo. Demonstrationes enim scientiarum praecedunt ipsam scientiam; fidei vero demonstrationes ipsam fidem subsequuntur, ita ut prius credendum sit, et per fidem sciendum, quam credimus. *Qui igitur credit, revera scit; qui vero non credit, ipse est, qui nescit.* Unde S. Hieronymus Dialog. contr. Lucifer. *Ridicula — ait — penitus assertio ante de fide quemquam disputare, quam credere.* Et Julianus African. lib. 2. de part. div. leg. C. 30. „Fides nostra supra rationem quidem est, non tamen temerarie, et irrationabiliter assumitur; ea enim, quae ratio docet, fides intelligit, et ubi ratio defecerit, fides praecurrit, non enim utique audita credimus, sed ea, quae ratio non improbat.“

Pergit ibidem Paalzow. Si Deus voluerit, ut quid de eo affirmemus, credamusve; cur non veram de eo nobis concessit scientiam? Hanc igitur aut non necessariam judicavit, aut quod dici nequit, malum pro bono elegit, immo suspicio oritur contra ipsum ideo requiri fidem, praetextum ut habeat mortales perdendi. pag. 75.

*Resp.* Multifariam, multisque modis olim loquens Deus patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio (Epist. ad Hebraeos I.) qui, quod audivit a patre, locutus est in mundo (Joan. VIII. 26.) et suis mandavit apostolis, ut irent in

orbem universum praedicaturi omnibus mortalibus veritates, ut omnis, qui credit, non pereat, sed habeat vitam aeternam; qui vero non credit, jam judicatus est. — Tam manifeste igitur, tantisque modis Deus hominibus veritatis cognitionem est largitus; Et tu dicere audes; ipsum hanc minime concessisse similis factus coeco, qui affirmat, solem in meridie non splendescere.

Ibidem porro — Fides juxta Theologos est donum dei, quod Deus omnibus non concedit hominibus. Quodsi hoc; quomodo ergo Deus doni causa, quod non concessit, et ab ipso solum haberi possit, homines damnare valet?

*Resp.* Donum Dei est fides, quia illam nostris non possumus merere operibus, sed et donum, quod petentibus minime denegat Deus. Petite et accipietis, quaerite, et invenietis. Aut recusanti obtrudenda dona, contra voluntatem trahendus in-vitus?

Pag. 76. Scriptura docet, fidem non esse omnium, ex quo consequitur, Deum justum nec illam requirere posse ab eo, quem denegavit illam.

*Resp.* Jam et te mirificum Ss. litterarum esse interpretem comperio, quem nudiustertius theologum demiratus sum. Si tanta eruditionis plenitudine jus interpretaris borussicum, sicut hic et in toto tuo opusculo Ss. Scripturam, me hercle! aut omnis sine discrimine absolvitur reus aut condem-

natur insons. — II. Thessal. III. 2. legimus: ut liberemur ab importunis, et malis hominibus: *non enim omnium est fides*. Hic de confidentia humana apertus est sermo. Wie denn Treu und Glauben sehr selten ist. Vertit Hefs. Et Cla. Rosenmüller: Non enim omnibus confidere possumus. — Doctores reformatos, his verbis abutentes, post alios profligavit Buddaeus in institutionibus Theolog. dogm. pag. 907, profanos vero homines, qui ea in vitae licentiam abripiunt, retudit Spencerus in Vindiciis locor. Ss. Scriptur, pag. 370. edit. germ. Confer quoque Camero Tom. V. Criticor. Sacror.

Pag. 85. asserit, tempore apostolorum diversam extitisse fidem, quin ab apostolis reprobata. \*)

*Resp.* Et nova aberratio! Tu mihi dicito: si perinde, quae qualisve fides, quare Apostoli deserentes palaestinam profecti sint in regiones longinquas? Dicito: quare \*\*) Himenaeum, Alexandrum, Philetum, Diotrephem (1 Timoth. I. 20. II. Timoth.

---

\*) Pag. 207. scribit: Wenn auch die Christen bey diesem einzigen Glaubensartikel, und bey der ihnen von den Aposteln empfohlenen Trennung von allen Menschen, die nicht diesen Glaubensartikel mit ihnen gemeinschaftlich hatten, stehen geblieben wären; so war etc. — Quam apte haec quadrant!

\*\*) Confer Wallchii Diss. de Himmææ et Phileto. Jenæ 1735.

II. 17. — III. Joan. 9.) rejecerunt, quia a veritate exciderunt, dicentes: resurrectionem esse jam factam, fidemque quorundam subverterunt? Quare S. Paulus admonet suum Timotheum, ut devitet profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt? I. Timoth. VI. 20. Dicit: quas haereses vocat Apostolus I. Corinth. XI. 18? — Confer Acta Apostol. XV. 25. — Galat. I. 6.

Ibidem. Generaliter dici potest de omnibus religionis sectis, quod articuli fundamentales ipsis communes sint.

*Resp.* Sunt ergo in quacunque religione articuli quidam, quod supra negasti. 2do. Qui articulos fundamentales omnibus communes esse dicit, aut ignorat eos, aut perverse explicat, immo 3tio inter sese minime conveniunt, qui sunt articuli fundamentales. 4to. De Deo, ejusque attributis te nihil scire, multo minus quid credere, aperte confiteris §. sexto; quisnam ergo tibi articulus fundamentalis?

Pag. 86. incipit articulos quosdam recensere, quos apud gentes quoque communes invenimus. Trinitatem ait a Seneca aequè clare statutam habemus, sicut in Ss, Scriptura.

*Resp.* Et Consiliarius noster nescit fontem, ex quo hausit Seneca? A se ipso, an ab alio hanc habuit notitiam Seneca, qui vixit tempore novae legis? Legas velim Diss. Calmeti in libr. Proverb.

Num Philosophi e script. S. leges suas, et moralem scientiam hauserint? — Quodsi catholicum respuas authorem; ecce! domesticum habebas Lilienthal I. B. der guten Sache der Offenbarung. R. 4. Seit. 263. §. 35. aut Warbuton Sendung Messis I. Band II. Buch. C. 124. ic. \*) Confer quoque Tertullian. Apolog. pag. 716. edit. Parisiens. 1566.

Pag. 87. articulos de resurrectione mortuorum, de novissimo iudicio, deque coelo, ac inferno ethnicis aequè cognitos fuisse olim, ac hodie christianis asserit, adjiciens: In quibus ergo inter hos et illos, et generaliter inter omnes diversas confessiones consistit discrimen?

*Resp.* Quodsi generaliter de Ethnicis id affirmat consiliarius noster, ipsum in antiquis philosophorum systematibus, ac ethnicorum rudimentis aequè parum versatum esse, ac in hodiernis Catholicorum, tutus concedo — Noverant tamen nonnulli hos, quos recenset, articulos gentiles sed maxime confuse, et illam de his confusam ideam, aut cognitionem e primo revelationis fonte, traditione majorum docente, aut probantibus judaeorum libris sumpserant. Inde Philosophi - ait Tertullianus Apo-

---

\*) Ex Christianis fontibus promanasse pleraque Jamblichi, Porphyrii, Procli dogmata, ea praesertim, quae de sensuum fuga, affectuum crucifixione disseruerunt, scribit Godefr. Olearius Diss. de Philos. Ecclset.  
 ② ③



log. — sitim ingenii sui rigaverunt, ut quae de nostris habent, ea nos comparent illis. Ideone vero nullum inter hos et illos discrimen? An totum in his nititur religionis universae fundamentum? Crediderunt et hos articulos Pharisei; ergo inter hos, et Apostolos nullum discrimen! credit et hodiernus Judaeus, aut Mahumedanus; ergo inter hos, et Christianum non est distinctio! Profecto quasi puer unius diei qui anilibus fabulis, aut sagarum historiis emollitur, ac sedatur, blaterat indiseriminatim, quae si punctatim refutare pergerem, vereor, ne ludos facerem optime litteratos, ac sine noxa mulctarem chartam et atramentum. \*)

---

\*) Pag. 270. ait Paalzow. Christus hat seinen Jüngern keine Glaubenslehren als zur Seligkeit nothwendig vorgeschrieben.

Res p. Joan. XVII. 8. Quia verba, quae dedisti mihi, Pater! dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. — Plura omitto, ne in rebus tam absolutis longus sim. Confer Joan. III. 36. — I. Joan. v, 10.

Der Apostel Petrus erklärt, daß jedermann, der recht thut, Gott wohlgefällig sey, er möge seyn aus welchem Volke er wolle, und also ohne Unterschied der Religion, und des Glaubens. ibidem.

Res p. S. Petrus loquitur hic de vocatione gentium ad fidem Jesu Christi. Act. X. 35. Et per

nomen ejus omnes, qui credunt in eum, accipient remissionem peccatorum, vers. 43.

Pag. 271. Der heidnische Philosoph Synesius ward im Jahr 410 von dem Volke zu Ptolemais zum Bischof erwählt, und von dem Bischof Theophilus eingeweiht, ob er gleich die Auferstehung der Todten, die Unsterblichkeit der Seele u. s. w. leugnete, und der Gemeinde ausdrücklich erklärt hatte, daß er ihr nichts, als was er selbst für wahr hielt, predigen würde, Ambrosius ward Bischof, ehe er getauft war.

Resp. Synesium philosophum platonicum fuisse non negamus, cum ad episcopale munus erectus fuerit. Veruntamen Episcopus factus, abjurans pristinorum errores professus est integram verae religionis doctrinam, suisque scientiis ecclesiae profuit, eosque qui contra ecclesiastica dogmata insurrexerant, rejecit e gremio. Noverit is sectam a se ecclesiam — scribebat ipse — quam unam esse vult Christus.

Falsum est, Ambrosium revera episcopum fuisse, antequam baptizatus fuerit. Canon 8. 9. citat. ait. Electus est. Inter electionem, et ipsum ordinem episcopalem ingens agnoseunt catholici discrimen. „Postea vero quam Ambrosius divinum sacrosancti baptismatis munus adeptus est, et gratiam episcopalem acceperat. etc. Theodoretus lih. 4. H. E. Cap. 6.

---

## PARS SECUNDA.

---

De probatione per acta Martyrum in  
rebus ad mores pertinentibus.

---

§. 1.

Quam morum regulam secuti sunt Martyres?

**E**a est saeculi nostri maligna natura, malus is spiritus, ut nostra alienis, id est: ea quae religio vel in se, vel in suis confessoribus habet sancta, aut mirabilia et divina, tribuat aliis Gentilismi sectis; aliena vero nostris, i. e. quae contra mentem religionis a perfidis vel insciis produntur alumnis, ab ipsa religione facta proclamet, ut sic quasi jure spernere valeat cum prole ipsam religionis autho-

rem. Admirabilem in martyribus obstupuit mundus  
aversus constantiam, sanctam admirata morum pie-  
tatem, simplicem innocentiam, quae et maximos tra-  
xit ad se persecutores, qui, quam furore insatiabili-  
que saevitia excindere voluere, imitari maluerunt  
factis. Hinc Tertullianus lib. ad Scapul. C. 3.  
*Adeo confitemini innocentes nos esse, quos damnare  
statim ex confessione non vultis.* Et in Apolog.  
C. 2. *Alii, quos retro ante hoc nomen vagos, vi-  
les, improbos noverant, ex ipso denotant, quo lau-  
dant coccitate odii in suffragium impingunt, quod  
mulier, quod lasciva, quod festiva . . . facti sunt  
Christiani.* Immo ipse Julianus Apostata Epist. 49.  
ad Arsacium Galatae Pontificem scribit. „Quid  
„causae est, cur in hisce perinde ac si nihil am-  
„plius esset, conquiescamus, ac non potius conver-  
„tamus oculos ad ea, quibus christianorum religio  
„crevit, id est: ad benignitatem in peregrinos, ad  
„curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, et  
„ad sanctimoniam vitae, quam simulant? Quorum  
„singula a nobis vere exsequenda censeo.“ \*)

His et amicis, et inimicis sapientiores sibi vi-  
deri volunt hodierni quidam, qui ut omnem ab ec-  
clesia nostra difflare valeant divinitatis splendorem,  
sanctitatisque radios quibus oculi eorum excoecantur,

---

\*) Vide Mosheim de studio ethnicorum christianos imi-  
tandi. Helmstadii 1729. — Marnobii antiquit. christ.  
Tom. III. pag. 449.

ac enervantur, in umbram convertere inanein; affirmare minime erubescunt, Martyres *stoicorum* principii fuisse imbutos, horumque plurima ex parte secutos morum regulas, imo ipsos revera Bacchatores *Schwärmer*, et in supremo gradu fanaticos fuisse. A Stoicis dilectio Dei, quam martyres praedicant, contemptus vitae, honorumque temporalium, ad mortem, licet acerbissimam pronitas. Agamus — inquiunt — martyrum vivendi agendique rationem cum stoicis principiiis comparemus, et praepriis *stoicum* inveniemus, quem christiani catholici venerari solent martyrem.

*Epictetus* Enchir. C. 31. officia erga Deum delineans, „scito, ait. id praecipuum pietatis erga „deos esse, rectas de illis opiniones habere tanquam „qui existant, et universa bene et juste adminis- „trent: et ad hoc te ordinatum esse, ut illis pare „as et cedas in omnibus, quae fiunt, eaque volun- „tarius sequaris; ut quae optimo consilio perfician- „tur. Sic enim nec culpabis deos, nec incusabis „quasi neglectus.“ Et *Antoninus*, lib. 8. §. 23. „Contingit mihi quidquam? Ita excipio, ut ad deos „referam, fontemque omnium rerum, a quo, quae- „cumque fiunt, ordine praestituto derivantur.“ His nisi principiiis — inquiunt — instructive martyres omnia ad Deum referebant, quaecumque contra ipsos inimici sunt emoliti, contenti ordinatione, quam judicarunt divinam, et sapientissimam; hinc et *af- fectuum expertes* reperiuntur: *sapientem enim omni-*



*mi affectu carere oportet, regula stoica est. Absque ira, sine rancore.* „Nuntiatur tibi, docet Antoninus I. cit. 49. §. hunc vel illum tibi convitiatum; „hoc nuntiatum est, non et illud laesum esse te; „hoc igitur modo in primo visis consistere semper „nec amplius quidquam cis a te intus adjicias, et „nihil tibi accidit, quod commoveat te.“ Morti obviam properant, fatum judicantes ipsis inevitabile. „Fata nos ducunt, ait Seneca, et quantum cuique restat, prima nascentium hora disposuit;“ et Antoninus lib. III. §, 11, „De singulis rebus dicendum est: hoc divinitus venit.“ Immo quandoque mortem sibi intulerunt, quia stoici suicidium probant, et persuadent etc.

His ridere quidem liceret, sed mirari sufficiat, qui viri, quorum laus non infima est ab eruditione, subito martyres christianos convertere valeant in stoicos sapientes, quos nudiusquartus depinxerunt stolidos ex infima plebe, eosque illitteratos? Num et Stoicis bellum persecutionis indixere Augusti? *Sed facilius, ut nitide Tertullianus in Apolog. statuis, et salutariis remunerantur, quam ad bestias pronuntiantur. Sed merito philosophi, non enim christiani cognominantur.* Fors illa? stoica erat natio, quam *lucifugam, et latebrosam, in publicum mutam,* in *angulis garrulam* nominat Caecilius apud Minut. felic. Num et stoici illi, de quibus scribit Plinius ad Trajanum, eos *in villis et agris ex omni aetate,*

*omni ordine ac sexu vigere? Haec sane sunt, ut iterum Tertulliani verbis utar, quae in solis christianis (martyribus) praesumptiones vocantur, in Philosophis, et poetis summae scientiae et insignia ingenia: illi prudentes, nos inepti, illi honorandi, nos irridendi, immo eo amplius puniendi. Haec quidem summe miracilia!*

Liceat tamen deum investigare stoicorum, Deum et nostrorum martyrum et caetera alia in comparationem traducta. „Stoici, scribit S. Justinus Apolog. II. Deum ipsum in ignem occasurum esse docent, et rursus mundum mutatione, et quasi renovatione extitutum. Nos autem melius quiddam, illis, quae mutantur, intelligimus, Deum rerum omnium conditorem. Quod si quaedam eodem modo quo Poetae ac Philosophi, qui apud vos in honore sunt, et gloria, dicimus, nonnulla vero excellentius, ac divinius: solique quod dicimus, demonstramus.“ Ita pariter Tertullianus in Apol. Et si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata mutabat, per quod incertum miscuerunt, etiam quod invenerant certum. Inventum enim solummodo Deum non ut invenerant, disputaverunt, ut et de qualitate et de natura ejus disceptent. Alii incorporalem asseverant, alii corporalem, ut tam Platonici, quam Stoici. . . . Et Platonici quidem curantem rerum . . . positum vero extra murum Stoici, qui figuli modo extrinse-

cus torqueat molem hanc, intra mundum Platonici. Sic et de ipso mundo natus, innatusve sit, decessurus, mansurusve sit, variant. Sic et de animae statu, quam alii divinam et aeternam, alii dissolubilem contendunt, ut quis sensit, ita intulit, aut reformavit. Nec mirum si vetus instrumentum ingenia philosophorum interverterunt. Ex horum semine et nostram hanc novitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt, et de una via obliquos multos trames, et inextricabiles sciderunt. Quod ideo suggesterim, ne cui nota varietas sectae hujus, in hoc quoque nos Philosophis adaequare videatur, ut in varietate defensionum vindicet veritatem." Ita Tertullianus. Apud nostros igitur martyres nulla de Deo ejusque perfectionibus varietas, nulla dissensio, sed consensus unanimis, ut supra Part. I. dedimus. Summa item resignatio non in stoicum fatum, sed in Dei voluntatem. *Compleatur voluntas Dei,* aiebat S. Polycarpus apud Ruinart Tom. I. *quandiu voluit ille, distulit, et quando jussit optavi* Et S. Martyr Epipodius ap. Ruinart Tom. I. pag. 167. *Dignum est, ut illi animam meam refundam qui mihi et creator est, et redemptor. Ita enim mihi vita non tollitur, sed mutatur in melius. Nec interest infirmitas corporea quo sine solvatur; dummodo anima coelis invecta ad suum revertatur autorem.*

Plura conciere possem, nisi taederet in re tam lucida longius inhaerere, praesertim quia ex his per se fluit, quam morum regulam secuti fuerint martyres. *Expedite*, iterum iterumque produco Terullianum Apolog. *praescribitur omnibus, illam esse regulam veritatis, quae veniat a Christo, transmissa per comites ipsius.* Quam delineans Apostolus Paulus, suisque praescribens Corinthiis I. Corinth. IV, 16. XI. 1. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Et Philippens, III, 17. *Imitatores mei estote. Fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram, vivendi per nos, aut ambulandi secundum nos, uti Zegerus annotat Tom. V. Criticor. Ss. fol. 697. Habentes igitur vitae formam, imitatores facti sunt \*) Martyres*

---

\*) *Celeb. Kantius Metaph. der Sitten S. 29. annotat, pessime consuli moralitati, ejus regulas ab exemplis deducendo. Omne enim exemplum mihi propositum ad principia moralitatis primum dijudicandum sit, utrum originali exemplo, sive exemplari inservire possit; nullo autem modo moralitatis conceptum primum posset suppeditare. Verum cum Jesus antea jam comprobaverit, se nihil facere praeter voluntatem Dei summi patris sui, quae est, ad religionis judicium, moralitatis exemplar, cumque Christus et Deus simul sit, ac Apostoli juxta praescriptum Magistri sui docuerint, vixerintque; hinc*

Jesu redemptoris, ejusque apostolorum; et quam longe Jesus, et Apostoli a stoica philosophia abfuerunt; tam longe et illi, quos saeva persecutionis procella ad martyrum remisit classem. *Me Episcoporum, Presbyterorum, et omnium partium, quorum doctrinis imbutus sum, sequi tota veritate vestigia oportet.* Ita S. Martyr Pullio apud Ruinart Tom. II. pag. 427.

Superest altera criminationis, quam supra in nuimus, pars, quam et novissime recoxit author operis: *Die Möncherey, oder geschichtliche Darstellung der Klosterwelt.* Stuttgartard 1819, qui sanctos matres, dubio absque insaniae furore pertractus lib. I. pag. 13. Superstitionem novam, et pag. 16. Bacchatores *Schwärmer*, ac fanaticos\*) non erubescit

---

exempla, et actiones Christi, et Apostolorum iis qui sacra ipsius profitentur, horumque in ordine successores sunt, regula esse possunt, et debent.

- \*) Bacchationem *Schwärmer* definiunt effectum erroris malaeque conscientiae, quae divinis rebus abutens religionem motibus Phantasiae, passionumque malis affectibus subjacet. Huic affinis est Fanatismus, sive ille animae status, in quo repraesentationes per verum alienius spiritus inflatum eidem advenire, et inexistere falso, absque sufficiente ratione putantur. Unde qui fictitios afflatus pro veris, et imaginationes pro realibus inspirationum sensationibus habet: fanaticus dicitur.



dicere. Non est equidem inaudita hæc calumnia. *Nos hobetes* — ajebat Arnobius lib. I. — *stolidi, fatui, obtusi pronuntiamur, et bruti, et apud Minutium Felicem in Octav. illitterati, pauperes, imperiti de rebus coelestibus disputare, plebeji, indocti, seminudi etc.* Sed et nunc ipsum authorem ad illa, quae has genere contra christianos martyres calumnias, contumeliasque, nobis fas erit remittere saecula, quae hodierni nominamus barbara, illisque associare populis, qui, ut ibidem Arnobius scribit, *Grundules adorant lares, Aios locutios, libentinos, qui Faunos, qui statuas, civitatumque genios, qui Pausos reverentur atque Bellonas.* Quid vero inde nobis lucri, aut honoris pro nostris martyribus? Multum per omnem modum.

*Magnum sane opprobrium, quod nostri martyres inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarum tantum fuerint, et fanatici!* Tertullian. in Apolog. Agnoscimus praetera, ne eadem eos sensisse et egisse, quae sentire aut gessere communes; (Minut. in Octav.) Testimonium pariter palpabile, actiones moresque martyrum dissimiles exprobrantium, quos novimus viventes, calumniatorum moribus. Agite! proferamus gesta, quae legimus, martyrum moresque, quos ignorare, imo obstupere mihi certus sum calumniantes. *Necesse est, vel hoc modo erumpere ad proponenda ea, quae palam non vultis audire* (Tertullian. in Apolog.) „Nihil aliud curare debent christiani — ajebat Martyr Theodotus ad Victoriam — quam puritatem vitae, conversationem rec-

„tam, et mentem in vera religione firmam, quarum  
 „possessio rara, et paratu difficilis ad paucos per-  
 „venit. . . Ne quaeso! audias noxios illos, profa-  
 „nosque sermones, quibus impuri illi aggrediuntur  
 „te, neque omnino suscipias suasiones eorum, ut  
 „nos deserens eos sequaris, continentiae lasciviam  
 „praefereas, injustitiam justitiae, pietati impieta-  
 „tem.“ Apud Ruinart Tom. II. pag. 222. Alia  
 alii martyres; sufficiat Pullio apud Ruinart Tom.  
 II. pag. 426. „Haec sunt Christi sancta mandata,  
 „ quae unum Deum in coelis indicant intonantem,  
 „ quae non posse dici deum ex ligno, et lapida sa-  
 „ lutifera admonitione testantur: quae corrigunt  
 „ noxas, et emendant: quae innocentes in proposito  
 „ sui perseverantia, et observatione corroborant;  
 „ quae virgines integritatis suae edocent obtinere  
 „ fastigia; conjugem pudicam in creandis filiis con-  
 „ tinentiam custodire; quae dominos servis plus  
 „ pietate quam furore persuadent, unius conditionis  
 „ contemplatione, dominari; quas servos plus amore,  
 „ quam timore persolvere: quae doceant regibus jus-  
 „ ta praecipientibus obedire; sublimioribus potes-  
 „ tatibus, cum bona jusserint, obtemperare: quae  
 „ praecipiant parentibus honorem, amicis vicem,  
 „ inimicis veniam, affectum civibus, hospitibus hu-  
 „ manitatem, pauperibus misericordiam, caritatem  
 „ cunctis, matum nemini facere: accipere patienter  
 „ illatas injurias, facere omnino nullas: suis bonis  
 „ cedere, aliena ne oculorum quidem delectatione  
 „ concupiscere; in perpetuum esse victurum, qui

„ pro fide momentaneam mortem, quam vos potestis inferre, contemserit. Haec si displicent, optime cogita tuo iudicio poteris derogare.” Ecce! Iste est Fanatismus, haec Bacchatio, quam docuere, secutique sunt martyres! Quam dissimilis doctrinae, vitaeque eorum, qui eos diffamant! De his loquitur Sapiens: II. 12. *Circumveniamus — ajunt impii — justum, quia contrarius est operibus nostris, et impropere nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae.*

---

§. II.

Non omnia martyrum gesta in exemplum et regulam statuenda.

His tamen nolumus defendere, martyres ab omni, etiam levi, macula immunes, nullique piaculo fuisse obnoxios; immo novimus quasdam actiones, quae, si aequa lance ponderentur, difficulter crisis sustinere valebunt. Refert nobis Eusebius lib. 3. H. E. C. 5. „Primum simul, ac edictum contra ecclesias propositum est Nicomediae Vir quidam minime obscurus, sed saecularium honorum praerogativa in primis conspicuus, zelo quodam divino commotus, et ardore fidei incitatus edictum il-

lud \*) in publico, et illustri urbis loco affixum detraxit, et tanquam impium, et scelestum manibus suis discerpsit; idque duobus imperatoribus in eadem urbe commorantibus. . . Hic igitur cum primus omnium in ea civitate hujusmodi facinore inclaruisset; statim ea supplicia perpeusus, quae post tantam auda-

- 
- \*) Caecilius Lactantius de mort. persecut. C. 13. idem factum refert: Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carent omni honore, et dignitate, tormentis subiecti essent. . . quod edictum quidam diripuit, et conscidit. . . Ex his patet, quam perverse historiam adulteraverit Paalzow §. 13. Als ein Christ ein Edikt des Kaisers Diocletian öffentlich zerrissen, und mit Füßen getreten, und dem Christenthum, das die größte Duldung genossen hatte, dadurch eine Verfolgung zuzog; so wurden die Christen angehalten, ihre Evangelien und andere Schriften der Obrigkeit auszuhandigen. Eandem hujus historiae corruptionem Voltairio, ex quo sine dubio hausit Paalzow, objecit Cla. Nonnotte Philosoph. Lexicon. Verb. Martyrer. §. 4. Er sagt, die Handlung dieses Christen sey die Ursach der Verfolgung gewesen. Ein Ausspruch, welcher recht merkwürdig ist! Die Verordnung war die Verkündigung der Verfolgung selbst. Wie konnte die That des Christen, der die Verordnung abriß, die Ursache davon seyn? Ist es möglich, daß Philosophen, daß so große Geister so armselige Schlüsse machen?

ciam ei infligenda esse credibile erat, laetitiam, ac tranquillitatem animi usque ad ultimum spiritum conservavit.“ Narrat quoque S. Gregorius Nissenus in Vit. Gregorii Thaumaturg. a Christianis templa et altaria Gentilium fuisse destructa, simulachra eversa. Et S. Prudentius de martyre Eulalia canit Vers. 26.

Martyr ad ista nihil: sed enim  
infremit, inque tyranni oculos  
sputa jacit: simulacra dehinc  
dissipat, impositamque molem  
thuribulis pede prosubigit.

Meminit pariter S. Hieronymus in Chronico cujusdam martyris Aemiliani, qui ob ararum subversionem Dorostoli a Vicario incensus fuit; de quo tamen fusius graecum Menologium apud Canisium Thesaur. Monum. Tom. III. P. I. fol. 450. ad 18. Julii. *Hic fuit servus cujusdam graeci temporibus Juliani Apostatae, et Capitolini praesidis: cum vero christum coleret, et idola insectaretur, nactus opportunum tempus, arrepto malleo, ingressus in templum, idolorum simulacra omnia contrivit, et sacrificia dispersit; adiensque praesidem, seipsum denuntiavit, quo circa verberatus, et in furnacem ignis injectus, spiritum deo commendavit. \*)* Ad hunc

---

\*) Eadem legimus de S. Patriarcha Benedicto, aliisque.



martyrem iudice Baronio ad ann. 362. N. 80. plane alluisse videtur S. Ambrosius, cum scribens ad Theodosium ait: *Quot se offerre habent tali optioni, cum meminerint, tempore Juliani, illum, qui aram dejecit, et turbavit sacrificium, damnatum a iudice fecisse martyrimum.* Quod enim, addit Baronius, impudentia Juliani in restituendo deorum cultu, erigendis simulacris, instaurandisque sacris, ubique ferveret; spiritus domini ad tam grandia peragenda, procacitatemque apostatae retundendam, complures Jerobaales (Gedeones Jud. VI) effecit, et ad aras destruendas armavit.

Admiranda quidem haec sunt, et merito obmutescit crisis, si virtus spiritus divini interveniat; veruntamen generaliter haec laudare, aut in regulam statuere, et aliorum exemplum nemo audebit, nec ea, exclusa potestate altiore, rata habere. Theologi est, in hoc puncto praecipuis imitari ecclesiae catholicae spiritum, quae, cum in una tabula proponat mirabilia, ac heroica martyrum acta, in altera filios suos retrahit a temeraria sequela. Cum enim acciderit, ut plurimi christiani martyrum quorundam exemplo permoti, intrepido fortique animo ad idola frangenda passim prosirent, iidemque a gentilibus in eos furentibus necarentur; episcopi Hispaniae id, quod quidam martyres privato quodam impulsu divini spiritus fecissent, ab omnibus exemplo horum importune, ac temere usurpari deciderunt. *Si quis idola* — habet canon 60 conc.

Eliberit. — *fregerit, et ibidem fuerit occisus, quia in evangelio non est scriptum, nec invenitur ab apostolis factum; placuit eam in numerum non recipi martyrum.* Vereor tamen, ne hic canon posterioris sit aetatis, aut plane fictitius, ut Cla. Molckenbuhrius Diss. de Synod. Eliberit. ostendit. Quidquid sit, veritate omnino nititur: *in evangelio non est scriptum, nec ab apostolis invenitur factum.* \*)  
 Quandocumque enim zelo contra idololatriam arderent apostoli, nunquam tamen, ut Binghamus annotat Orig. eccles. lib. XVI. C. 4. pag. 233, eos tumultuose templa gentilium ad demolienda idola ingressos, sed prorsus contrarii characteris testimonium ab ipsis gentilibus eis datum esse legimus. Cujus illustre exemplum habemus in Apologia, quam pro Paulo ejusque sociis fecit scriba Ephesius, cum a Demetrio auri fabro, et reliquis artificibus, tem-

---

\*) Neque in veteri lege id licitum fuisse reor. Gedeonis factum extraordinarium textus ipsemet statuit Jud. VI. 25. *Dixit Dominus ad eum.. destrues aram Baal.. assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit, sicut praeceperat ei Dominus. Speciale praeceptum legitimat speciale factum.* Unde Flavius Josephus lib. IV antiq. C. 8. fol. 67. edit. Colon. 1593 refert Judaeis illicitum fuisse idola frangere. *Fana externa non sunt spolianda, neque dicata alicui Deo donaria tollenda.*

pla argentea Dianae facientibus, accusarentur, tanquam qui istius Deae templo, et coelitus delapsae imagini vim intulissent: *Adduxistis, inquit, homines istos neque sacrilegos, neque in Deam vestram maledicos.* Act. XIX, 37.

Sciebant utique Apostoli, fideles ex capite verae religionis praecise nihil habere potestatis in rempublicam, aut bona aliorum, etsi a recta fide et pietate aberrantium, nisi id vel expresse vel tacite ab altiori potestate, cujus interest, concessum. \*)

Qua de causa annotat Baronius ad diem 13 Julii in martyrolog. ex legibus Constantini, et Constantii ejus filii Augustorum templa, arasque subverti, et idola frangi, legitimum fuisse. Novimus equidem ab hisce Augustis, idolorum templa spoliata et destructa fuisse, sed et cuique *privato* licentiam datam fuisse ac libertatem, vix in animum possumus inducere nostrum, nec fors alius, cui vera reipublicae inest idea; imo Eusebius in vita Constantini lib. 3. C. 52. aliud ianuere videtur. „Ista igitur — scribit — animo complexus, non armata manu, aut ingenti exercitu ad eas res corrigendas

---

\*) Confer Lamind. Britann. (Muratorium) de ingenior. moderat. lib. 2. C. 4. pag. 255. Benedictum XIV. de Beatificat. et Canonizat. Sanctorum lib. 3. C. 17.

„ sibi opus esse; sed unum et alterum ex illis, quos  
 „ spectatos habebat, ad hoc munus subeundum sa-  
 „ tis habere virium arbitratus est, quos una, ea-  
 „ demque auctoritate donatos ad singulas gentes mi-  
 „ sit.” His omnino conveniens est canon 51 apud  
 Harzheim Concil. German. Tom. I. fol. 216, qui  
 ex africano concilio assumtus creditur. *Placuit ab  
 imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiae idolo-  
 latriae non solum in simulacris, sed in quibus cun-  
 que locis, vel lucis, vel arboribus omni modo de-  
 leantur.*

Porro si supra allata martyrum gesta rite, ut  
 par est, perpendamus, facile inventu erit, neque a  
 Synchronis, neque a posteris haec laudata, licet ad-  
 mirata, Caecilius Lactantius l. cit. C. 13. apud Ba-  
 luzium miscell. II. Tom. illud *non recte* factum  
 asserit. Ruffinus quoque apud Eusebium lib. 8.  
 C. 5. tanquam tacite reprehendere vellet impruden-  
 tem, et intempestivum illius ardorem pro fide Christi,  
 adjecit: *calore fidei nimio ignitus.* Admonuit hac  
 ex causa sine dubio suos S. Cyprianus Epist. 81.  
 „ Vos, fratres charissimi! pro disciplina, quam de  
 „ mandatis dominicis a me semper accepistis, et se-  
 „ cundum quod me tractante saepissime didicistis,  
 „ quietem et tranquillitatem tenete: ne quisquam  
 „ vestrum aliquem tumultum de fatribus moveat,  
 „ aut ultro se gentibus offerat.”

Ex his omnibus Theologus moralis sequentes  
 canones statuatur,

- I. Facta particularia extraordinaria in regulam non assumo, sed an exemplo principali conveniant, probato.
- II. Si actiones quasdam impulsu Spiritus s. peractas legimus, te illo impulsu carere, semper judicato.
- III. Esto admirator, non temerarius imitator, multo minus audax improbator.

---

§. III.

Vindicantur nonnulli martyres sese sponte flammis, aut bestiis tradentes, vel in se excitantes eas a calumnia violati juris naturae.

„Omnia - praeclare inquit S. Martyr Justinus in Apolog. I. rationem animosque hominum distrahunt ex eo, quod nos mortem, quae fugienda sit, contemnamus, ac pro nihilo putemus Etenim ego ipse, quem Platonis Philosophia delectaret, cum christianos in crimen vocari audirem, sed nullo mortis, aliorumque omnium, quae horribilia dicuntur, metu affici animadverterem, profecto in eis vitium voluptatisque studium esse non posse, cogitabam.“  
 Recte id quidem: non solum vitae contentus, laetusque mortis complexus attonuit orbem, sed et de puritate morum, veritateque dogmatis egregium edidit testimonium; imo novimus martyres, qui ut mors



celerior atrociorque et firmitus religionis sit testimonium jam, comprehensi \*) sponte se neci traderunt praecipitantes se in flumen, vel flammis consummentibus tradentes, vel bestias in se excitantes ad conterendum. Mirabilem ejusmodi constantiam, animique praesentiam ostenderunt Ss. Ignatius Ep. Matronae Perpetua et Felicitas; parilem virtutem vidimus in Ss. Tarachio, Andronico, Apollonia, Vincentio, aliisque pluribus, quos recensere hic omnes longum esset: immo Palladius narrat in historia Lausiaca fol. 781. edit Rosweidi Cap. 150.

„Cum Magnentius venisset in unam urbem, amavit  
 „quamdam uxorem viri senatorii ex praefectis. Ti-  
 „more autem affectus ejus maritus, dixit ei; mitte,  
 „tolle eam. Cum autem venissent ad eam milites,  
 „dixit eis mulier: exspectate parumper, donec mun-  
 „dum meum componam, cui sum asueta. Ingressa  
 „autem suum cubile, accepto ense, eum suis infi-  
 „xit visceribus.“ His addit Palladius: Audiant  
 virgines, et erubescant, quae profiterentur se Christum habere sponsum, et prava

---

\*) Hic sermo unicus est de comprehensis, ligatis, janjam judicatis, non de illis, qui sine necessitate ultro se judici praesentabant, et offerebant. Hanc audaciam non semel prohibuit ecclesia, ut in actis S. Polycarpi et in Epist. S. Cypriani legimus: sed et quandoque ratam habuit et approbavit. Vide Benedictum XIV l. cit ubi hanc causam egregie pertractat.

eum produnt libidine. — Ita de aliis viris, et mulieribus s. quos sponte sua in praesentem mortem ruisse, divina et ecclesiastica historia memorat. C. Justin. in Apolog. 2. N. 4.

In haec Ss. Martyrum facta et superba exterrorum, et pavida domesticorum sese exercuit crisis; illi cum eos audacter accusant violationis legis naturae; hi cum quidem haec facta minime audeant dicere legitima, timidi haud solidis excusare intendunt rationibus. Illud quidem certum apud me habeo, si mundana ejusmodi heroes ostentare valeret sapientia, eos usque ad ultimos elevare tentaret coelos, de violatione juris naturae nequidem cogitans, ac de hac dubia moventem ludibrio deprimens, ac derisu: cum autem nunc catholica fortibus his atletis merito gloriatur ecclesia; ut triumphum viarent, et gloriam opprimerent, jus naturae violatum proclamant. Veruntamen quo ex fonte illud violatum volunt, scire lubenter cupio. Celeberrimus Dallaeus hoc nobis illustrat hunc ferme in modum, dum loquitur de S. Ignatii epistolis. Cum nemo, ait, suae vitae, corporisque dominus sit; vitam unusquisque conservare integram debet; mortem autem tum nobis tum aliis optare, aut alios in interitum nostrum urgere, prohibemur: sibi igitur ipsi necem inferre aut eam procurare modo quocunque contra jus naturae est. Ita et plures alii.

Hanc maculam, primo oculo non omnimode infundatam, ut abstergerent a nostris martyribus, non

nulli theologi, inter quos Collet, Steinkellner alii-  
que sunt, ad ignorantiam, erroremque invincibilem  
confugerunt; alii impulsu divino factum extraordi-  
narium excusari debere arbitrantur. Hoc impulsu,  
etsi illum aliquoties adfuisse, concedamus, difficul-  
ter tamen cavillationibus, ac objectis incredulorum,  
quibuscum principalis hac in causa nobis lis est et  
pugna, satisfacere, rugasque martyribus inflictas ab-  
luere valemus; ignorantia autem, erroreve invinci-  
bili in primis juris naturae principiis honor mini-  
me salvatur, imo ad infimos deprimitur gradus. In-  
ter hos enim martyres apparent Episcopi ab aliis  
documentis undequaque doctissimi, Presbyteri, alii-  
que plurimi, quibus inscitiam adscribere in rebus  
obviis minime fas est, et providum; immo cum facta  
horum martyrum ab aliis non solum privatis docto-  
ribus, sed et universis ecclesiis laudata invenimus,  
et hos, et universas ecclesias aut ignorantes in prin-  
cipiis juris naturae, aut errantes praesupponere et  
affirmare consequenter debemus. \*) In Smyrnensis

---

\*) Provide in nostrum propositum Lactantius lib. V.  
cap. 13. loquitur. Stultos arbitrantur esse, qui  
cum habeant in sua potestate supplicia vitare, cru-  
ciari tamen et mori malunt: quum possint ex  
eoipso providere non esse stultitiam (ignorantiam)  
in quam tanta hominum millia per orbem  
totum una, et pari mente consentiant. Si enim  
foeminae sexus infirmitate labuntur, ... viri certe

ecclesiae vetustissima epistola proponitur S. Germanicus, quasi nobilis et insignis bestiararius. Nam, ut acta habent apud Ruinart Tom. I. pag. 80, cum proconsul eum flectere vellet, diceretque ut suam ipse aetatem miseraretur; ille bestiam ultro ad se attraxit, eique vim intulit, cupiens velocius ex injusta, et iniqua eorum hominum vita effugere. Inde autem factum est, ut universa multitudo fortitudinem pii, ac religiosi generis christianorum admirata etc. Ille ergo Germanicus quem ut insignem, et nobilem imprimis martyrem proposuit antiqua ecclesia smyrnensis, cujus ob insigne factum ethnici ipsi sanctitatem, et virtutem christianae societatis admirati

---

sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per aetatem, maturi certe ac senes habent stabile iudicium. Si una civitas desipit, caeterae utique innumerabiles stultae esse non possunt. Si una provincia, una natio providentia caret, caeteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero . . . omnis sexus, omnis aetas . . . unis et paribus animis deo serviant, eadem sit patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant, aliquid in ea re esse rationis. . . . . Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id, quos res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam mortientium vanam esse.

sunt, ignoravitne jus naturae? Ipsi praecones violatum minime cogitarunt, aut invincibilitur errarunt? —

S. Dionysius Alexandrinus Episc. Apolloniam virginem magnopere laudat in Epist. ad Fabium Antioch. apud. Euseb. lib. VI. Hist. Eccl. C. 34. edit. Chrysostoph. quod cum ipsi de verberatis maxillis omnes excussi sint dentes, rogosque in suburbiis extractus fuerit, sine mora ex eorum manibus dimissa in rogam insiliit, flammarumque incendio absumpta sit. Sic et S. Hilarius in Enarrat. in Psalm. 65. scribit.

„ Alii in vinculis carcerum gloriantur, alii caesi in  
 „ verberibus gratulantur, alii potestati irreligioso-  
 „ rum desecanda feliciam capitum colla submitunt;  
 „ plures in extractos rogos currunt, et trepidanti-  
 „ bus poenae ministris ignem saltu devotae festina-  
 „ tionis insiliunt.“ Hunc in martyribus patiendi  
 ardorem optime describens S. Chrysosthom. orat. in  
 S. Romanum Diabolum ita loquentem introducit.

„ Prunas substravi, hi autem tanquam ad rosas  
 „ currebant, ignem accendi, illi autem in fontes  
 „ aquarum frigidarum seipsos projiciebant, . . .  
 „ et tanquam in sacra pompa choreas agentes, et  
 „ in viridi prato ludentes, ita tormenta quisque  
 „ arripuit; non tanquam poenas, sed velut vernos  
 „ flores accipientes et coronati, et propriae alacri-  
 „ tatis excessu tormenta mea praeripiebant etc.“ —

Et hos laudatores et illos factores ignorantia duc-



tos, aut errore deceptos fuisse, quis sibi prudens persuadere poterit? Recte S. Augustinus Quaest. 49. in Jud. 26. „*Quodsi hoc fecerunt mulieres martyres non humanitus deceptae, sed divinitus jussae, nec errantes sed obediētes; Unde antiqui patres ecclesiaeque doctores, quibus et jus naturae plane cognitum fuit, non locant operam, ut martyres tales excusent, nec solum acquiescunt, ut admirarentur, sed plane laudant, aliosque ad imitationem excitant. „Amplectenda res est; inquit S. Cyprianus lib. de laud. Mm. et optanda, et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi dei sumus, simus et amici; sed et ipse S. Antistes et Martyr ligatis jam per manus suas oculis, ut Pontius Diaconus in Vita ejus §. 18. scribit, moram carnificis urgere tentabat, cujus munus est ferrum. Immo plurimis voti tunc erat christianis pro christi nomine gladio percuti; ut S. Hieronymus in Vita S. Pauli eremitae apud Rosweid. Vita Patrum seniorum pag. 17. refert; et S. Joannes Chrysoth. de Juliano scribens, ait: *Novit enim, aperte novit, quod omnes pro Christo animas suas prodidissent: omnes enim, inquit, ut ad favum apes, ad martirium convolabant.* Legas et velim Tertullianum lib. ad Scapulam.*

Tandem plurima in Historia eccl. invenimus exempla, ubi ecclesia catholica semel lapsis, nunc autem poenitentibus permisit, imo mandavit, ut ju-

dici sese praesentarent, tanquam christiani, certi de infligenda morte, aut martyrio prosequendo. Haec omnia, sicut ignorantiam, erroremque invincibilem circa principia juris naturae evertent, ita et violationem ejusdem juris omnino negant.

Ne tandem quidquam eorum negligatur, aut sine refutatione dimittatur, ex quibus morosus aliquis cavillator, aut Dallaeanae assertionis propugnator martyribus conflare posset invidiam; in examen hic vocare necessum habemus ea omnia momenta, quibus eos violati juris naturae accusant.

Cum omnium consensu deus solus sit creator, dominusque hominis, eundemque ad id condiderit, ut ipsi inserviat, exultisque bonis ab ipso sibi concessis, ejusdem gloriae redderet illustriorem; cumque respublica humana, cujus membrum a natiuitate quilibet est, exerceri commode, et servari nequeat, ni quilibet se ipsum, quantum in se, excolat, et servet: cum totus societatis humanae salus intelligi nequeat, si singuli salvi sint, nec ne, nihil intersit; cum homo ipse ex instinctu naturali seipsum amare, et conservare, ac corporis animaeque eversionem toto studio avertere debeat; hinc apparet et Deo creatori, et generi humano, totique reipublicae, ac sibi ipsi facere injuriam, qui sibi vitam adimit, necemque infert, aut ad id vel a longe conducit.

„Et nos haec dicimus, hoc asserimus, hoc modo omnibus approbamus, inquit S. Augustin. lib. I. de civitate Dei C. 26. neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata praeterita, propter quae magis hac vita opus est, ut posset poenitendo sanari etc.“ Sed ad promovendam gloriam divinam, ad veritates a Deo propositas confirmandas, ac contestandas, ad salutem multorum hominum aeternam, vitam fundere et sanguinem, nec ex jure naturali prohibitum esse, immo licitum, sanctumque consentiunt commentatores juris naturae haud suspecti Puffendorfius lib. II. C. 4. Heineccius lib. I. C. 143. Hugo Grotius de J. B. et P. lib. II. C. 19. §. V. aliique plures. Profecto quis Deo magis inservit, quis illustriorem reddere valet ipsius gloriam, quam qui in Odium Dei comprehensus, omni salvationis spe frustrata, ultro mortem elegit, vitamque ei, cui soli debet, reddit. *Ab illo accipimus, ut essemus*, aiebat Dnx hebraicus Josephus apud Flavium Jos. lib. 3. Bellor. jud. C. 14. pag. 496. edit. colon. *rursumque ut esse desinamus, illi reddendum est.* Dei depositum est vita, hujus solutio, mors, quae Deo testibus litteris eo acceptior, quo liberior, et in contestationem juris, quod Deus in nos habet, consummatur. Unde

nonnulli Judaei, ut H. Grotius, et post ipsum Puffendorfius annotant, de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Nam quia non nobis, sed Deo in vitam nostram jus esse statuebant, existimabant solam Dei praesuntam voluntatem esse, quae mortis anticipandae consilium absolvat. Si vero Deus, auctor vitae, necisque dominus permittat, et haud obscura suae voluntatis, ac beneplaciti signa edat; an contra jus naturae hoc fieri quis astruet? Hoc autem in Martyribus contigisse, non una demonstrat linea, sed plane centenae.

Nec altera majoris reputanda est difficultatis assertio de obligatione erga rempublicam, ac societatem. Nae haec in persona summi imperantis, ac praesidum per omne nefas noluit illos martyres, ac ex gremio societatis rejecit tanquam *infructuosos in negotiis* ut Tertullianus habet in Apolog. ac *contemptissimae inertiae homines*, ut Suetonius in Vit. Domit. C. 15. nominat eos, adhibuitque tota societas omnes persecutionis nervos, ut semen eorum radicitus extirparet, evelleretque tanquam inimicum totius generis humani. *Sed et hostes*, ut legimus apud Tertullianum in Apolog. *maluistis vocari generis humani*. Et apud Tacitum lib. XV. annal. C. 44. *Igitur primi correpti, qui fatebantur, haud perinde in crimine incendii, quam odio generis humani convicti sunt*. Confer quoque Theophil. An-

tioch. lib. III. ad Autolicum, §. XIV. — *De isto igitur ipsi recognoscite, ut l. cit. Tertullianus habet. Quoties enim in Christianos desaevitis partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quoties etiam, praeteritis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis? — Quenam ergo obligatio erga rempublicam, quae hos exturbavit? Et si obligatio quaedam, profecto ex parte martyrum minime erat, si non soluta, sed ex parte persecutorum. Sed et in morte silere officium erga societatem, res aperta est: igitur in stadio stantes, jam comprehensi, judicati civiliter mortui reputabantur, tantum mortis executionem relevantes, cum mortem anticiparent, aut genus mortis.*

Quod autem quis seipsum ex lege naturae teneatur conservare, judice Puffendorffio l. cit. pag. 246. id inde est: quia a Deo ad colendam societatem humanam est destinatus, quam ad desertoris instar, aut infrequentis militis destituere haud quamquam possit: adeoque quod ego me teneam conservare, id me non debere mihi, sed Deo, et societati humanae; inde si respectus ille erga Deum, et genus hominum sit remotus, hominem sibi commendari per solum illum instinctum sensitivum videri, qui cum vim legis non habeat, eidem repugnasse quoque pro peccato non sit putandum. Inde illorum, pergit Puffendorffius, causam favorabilem judicant, qui manus sibi inferunt, quod certitudine moraliter



infallibili praevident, mortem sibi paulo post ab hoste cum cruciatu et ignominia adferendam. Sic et Heineccius l. cit. conservationem sui ipsius tanquam ex jure naturae obligationem agnoscit, nisi mens de praestantiore bono per mortem consequendo certa sit, mortem quidem non ultro eligat, sed imminensem sibi forti, ac intrepido animo obeat, praeveniatque. Haec omnia in martyribus nostris quadrare, et quidem unice, in aprico est. Nihili enim seipsos aestimabant, ut Christum lucrifacerent, et ut animas suas in aeternum salvas facerent, juxta doctrinam Magistri perdiderunt eas in hac vita, et perdentes eas propter Jesum, invenerunt illas in immortalitatis asylo. *Gaudium enim Martyrii*, ut Eusebius refert de Martyribus Lugdun. lib. V. H. E. Cap. I: *spesque promissae beatitudinis, et caritas erga Christum et Dei patris spiritus illos recreabat.*

Nec desunt divina oracula, quibus ejusmodi martyrum acta legitima demonstrantur, et rata. In veteri lege heroicum Samsonis factum \*) Judicium

---

\*) Samsonis factum expendit, ac ab objectis liberat Lilienthal: Die gute Sache der göttl. Offenbarung. 6. Theil. Seit. 779. §. 200. — Et M. Simon Grand. Dictionair de la Bible. Tom. II. Verb. Samson. fol. 514.

XVI. et Eleazari \*) in necatione Elephantis ruina nobis praestat exemplum. I. Mach. VI. In nova lege et Jesus Christus, qui seipsum sponte tradidit calumniantibus, et crucifigentibus, qui Petro dicenti: *absit hoc a te, domine!* respondit: *Vade post me satana.* — Et Apostoli, qui parati erant cum ipso in mortem ire; praeprimis S. Paulus Act. 23. *Vincula et tribulationes Jerosolymis me manent; sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosorem, quam me, dummodo consummem cursum meum.* — Et XX, 13. *Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu etc.* Caeterique Apostoli, qui suis exemplis subsequentium legitimarunt certamina, coronantes triumphatores, imponentesque iis nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Apocalyp. II, 17. \*\*)

---

\*) De Eleazaro optime Salianus Annal. Vet. Test. Tom. VI. fol. 82, ubi laudatores adducit Ss. Patres Ambrosium, et Gregorium.

\*\*) Egregie hoc comma de Ss. Martyribus explanat Daniel Herveus pag. 59. suae Explanationis historicae in Apocalypsin B. Joannis Apost. Lugduni 1684. Sumtibus Petri Borde, Joannis et Petri Arnaud in 4to major. non in octavo; ut Cla. Vogt de libris rariorib. refert, qui probabiliter nunquam hunc librum vidit, cum nequidem titulum rectum referat. Memoratu digna sunt, quae Her-

## §. IV.

Et a calumnia inobedientiae, aut obstinationis erga principes, et legitimos superiores.

Inter caetera et illud prorsus singulare, quod nostris martyribus obstinationem, inobedientiam, nec non intestinam rebellionem contra legitimos superiores, et principes objiciant. Quodsi constantiam in fide, praeceptisque divinis, fortitudinem in adversis, virtutemque interpretentur obstinationem, nolimus de verbi significatione litigare multum. De rebellionem tamen ne quid verbum quidem indicaret, scierunt martyres. Hujus causae afferre documenta ex Tertulliano, Justino, Athenagora, Minutio, Theo-

---

veus in praefatione scribit. „Ut minus sapiens dico, quamvis vere, et ad gloriam illius, qui factus est nobis sapientia a Deo. Anno Christi 1676, cum Vesontione, Comitatus Burgundiae Metropoli, Nancoeyum in Lotharingia proficiscens, ac inde remeans, hebdomada quarta post festum Paschae, meditarer super Apocalypsin, quae tum in officio romano legitur, animum subiit cogitatio explicandi admirabilem illam, et divinam revelationem. Reluctabar huic cogitationi multis de causis: sed tandem menti meae lux affulsit, cum his verbis Ezechielis, ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Protinus acquievi; et statim, atque Vesontionem reversus sum, accinxi me ad opus, quod mihi a Deo inspiratum arbitrabar.“

philio necesse non putemus, cum in qualibet horum offendere liceat linea. Non auditum unquam, Christianum quemquam aut martyrem participem fuisse seditionis, aut conscium, multo minus ducem conjunctionis contra legitimos superiores attentatae, quantumvis impii, et in persecuendis christianis crudeles essent. Solis nostris propria ea laus fuit, quod nunquam Neronis, Domitiani, Commodi, Caracallae, ac aliorum plurimorum imperio, ac jugo liberare se conati fuerint, quanquam et numero et potestate potuissent. Praeclarissime S. Polycarpus respondebat Proconsuli: „Tibi dignissimum reor „ satisfacere probatos, et obaudientes esse, quae „ iusseris; tantum ne injuste secteris. Docti enim „ sumus potestatibus, quae Deo ordinante procedunt, „ morem gerere, mandatisque servire.“ Et S. Martyr Achatius: „Et cui magis cordi est, vel „ a quo sic diligitur imperator, quemadmodum ab „ hominibus christianis? Afsidua enim nobis est „ pro eo ac jugis oratio, ut prolixum aevum in „ hac luce conficiat, ac justa populos potestate moderetur: et pacatum maxime imperii sui tempus „ accipiat. Deinde pro salute militum, et pro „ statu mundi, et orbis.“ Longiori stylo usus S. Victor apud Ruinart Tom. II. pag. 196. §. IV. „Si „ de injuriis, et inimicis Caesaris, et reipublicae „ agitur, nunquam Caesari, nunquam reipublicae nocui, „ non honori imperii quidquam detraxi, non ab ejus

„ me propugnatione retraxi. Quotidie pro salute  
 „ Caesaris, et totius imperii studiose sacrifico, quo-  
 „ tidie pro statu reipublicae coram Deo meo spi-  
 „ rituales hostias macto. Dementissimum autem non  
 „ ab re videri omnibus aestimo, si quis unum ali-  
 „ quid ita diligit, ut non pro centuplo meliore id  
 „ postponat.“ Plura alia, quae hic S. Victor, et  
 alibi alii martyres afferunt, omitto, ne sim praeter  
 necessitatem diffusus. Haec autem eo collimant, ut  
 novum demus argumentum perversae Paalzowii men-  
 tis, qui ex odio, quo ardet erga catholicos, scribit.  
*Subditos, quorum fides, et obedientia est divisa,  
 tam bonos esse, quam illos, quorum haec indivisa,  
 impossibile est, sicut longe diu dictum. Imo  
 subditus, qui firmiter potestati ecclesiasticae credit,  
 in sua conscientia civili semper hanc praeponat, ne-  
 cessesse est, toties quoties cum civili in contradictionem  
 venit. Haec est omnino necessaria sequela il-  
 lius ideae, quam sibi format homo de Deo, cujus  
 praesentans sacerdos est, et manet. \*)*

---

\*) Es ist, wie man längst gesagt hat, unmöglich, daß Un-  
 terthanen, deren Treue und Gehorsam getheilt ist, eben  
 so gute Unterthanen seyn können, als die, bey welchen  
 sie ungetheilt sind. Ja der Unterthan, der fest an die  
 geistliche Gewalt glaubt, muß in seinem Gewissen diese  
 jederzeit der weltlichen vorziehen, so oft sie mit ihr in  
 Widerstreit kömmt. Dies ist eine ganz nothwendige



Longe diu dictum fuisse, ais; puta ab illis, qui vel falsam sibi de potestate ecclesiastica fecerunt ideam, vel qui acrem bilem contra ipsam expuerunt; a viris integrae mentis, vel a mala passione puris non puto. Duo etenim tibi repono et *principia et facta*. Principia catholicorum si noscis, alia revera de nobis judicare debes; sin noscis, prius disce, quam calumniare audes. *Deum timete, Regem honorificate, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* I. Petri II. 17. Haec est nostra doctrina, quia apostolica est; ab illa ne ungue discedimus; nec ullus ab catholica ecclesia approbatus produci potest liber, qui ab his aliena docet. Lutheri, Calvini, Melancthonis nos quoque noscimus rudimenta, quia legimus, illa autem exscribere nolumus, utpote nimis delicati. Defendunt ipsi sua, nos nostra. *Ad facta* autem si perveniamus, quae tibi praesentarem, electio sane difficilis est. Sed summus tibi sit imago noster Pontifex Pius VII et quidem primaria, quia omnia moves contra illum. Mallet tibi praelegere epistolam ipsius de VI. Julii 1809 totam, si tibi arrideret, aut non nimis longa appareret. Pauca

---

Folge von dem Begriffe, den sich der Mensch von seinem Gott macht, dessen Repräsentant ihm immer der Priester bleibt. Seite 214. Absch. 10.

sufficiant germanice traducta. \*) A summo ad infimum usque redire licet catholicum, quem vidimus subditum in regnis. Sua reclamare; quasi turtures gemere, si premantur, sciunt catholici; rebellare nesciunt ecclesia id prohibente. Exemplis demonstrare me haec, non arbitror, ut desideres. Nostris gloriamini templis vos, vivitis rapina honorum catholicorum saginati, quam sustinuimus patientes, secuti regulam S. Pauli: *Sustinetis, si quis vos in servitute redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur* etc. Si nostri non tam fideles, non tam pacifici fuissent, potestatem regiam non honorassent, ubinam nunc vestri essent? Potuimus sed

---

\*) Wir wissen und erklären, daß wir ohne eine gewaltsame That (da wir mit der ganzen Welt nicht nur in Frieden sind, sondern unaufhörlich für den Frieden aller Fürsten beten (nicht losgerissen werden können von der Stadt Rom. . . Wir reichen jedoch mit Ergebung unsere priestertliche Hände der Macht hin, welche sie uns bindet, um uns anderswo hinzuschleppen, und, indem wir die Urheber dieses Frevels darüber, und über dessen Folgen gegen Gott verantwortlich erklären, so wünschen wir unsererseits, rathen und befehlen, daß unsere getreue Untertanen, unsere besondere römische Heerde, und unsere allgemeine Heerde der katholischen Kirche mit Eifer die Glaubigen des ersten Jahrhunderts nachahmen mögen, in dem Zeitpunkte, so lang Petrus im Kerker lag, verriethete die Gemeinde immerdar ihr Gebet zu Gott für ihn.

nolumus corde cogitantes effata Dei: *mihî vindicta, et ego retribuam*. Et Tu nobis fidelitatem, et quod magis est, illius possibilitatem abjudicas? Qui<sup>9</sup> tuus hic finis? Excitandi catholicos contra legitimos reges, si diversae sint confessionis? Inanis hic, nec tuis somniis perficies unquam; aut qui fors verior est, excitandi reges contra nostros, saltem suspicionem causandi? Et Tu potes arbitrari, sapientes credere seminiverbiis? Ridemus formam et finem.

Divisam autem potestatem ideo esse, id falsum est, quod nominas, sed non primum, neque inter alia, quae asseris, falsum est ultimum. Supremam in suo genere, indivisam esse regiam docemus, et tenemus; sciunt et reges supremam in suo genere esse ecclesiasticam; utramque divinam. Utrique enim Deus dedit suam, et ideo timemus illam, sequimur, adoramus. Hac ex causa merito malesana nominamus illa, quae addis: Et hic est, *effectus omnino necessarius, aut consequentia ideae, quam homo sibi format de Deo, cujus repraesentans semper manet sacerdos*. Expunge Deum; et a quo reges suam derivant potestatem? praesertim nostris diebus, quibus si subditi omnes socialistae essent, illudque systema legitimum agnoscerent, mox omnia sursum deorsum versa, eversaue videret Borussia. Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.

Alia, quae disseris §. 10, miscens quadrata ro-

tundis, noli a me exspectare, ut refutem. Lutheranam non curo catholicam. Clericorum Hypocrisis, populi stultitiam, regum panicum timorem, et caetera, quae multis coloribus depingis, deliramenta esse nemo nescit.

---

§. V.

Licitumne erat primis saeculis, artem pictoriam, vel sculptoriam exerceri a christianis?

Ut omnino nullum in primitiva ecclesia fuisse imaginum usum, contra catholicos ostenderet Dalaeus, edisserere non dubitavit, Christianis illicitum fuisse primis saeculis pingendi, sculpendique exercere artem, nullosque fuisse pictores, aut sculptores. \*) Quodsi hujus veritatem demonstrasset, dif-

---

\*) Eodem modo erravit Mendoza hispanus catholicus in notis ad Consil. Eliberit. docens: Christianis olim prohibitum fuisse Magistratum gerere, quem refutatam invenio a Clar. Molekenbuhrio Diss. de Cons. Eliberit. pag. 83. Sed quia vir clariss. Tertullianum a Mendoza productum non satis explicavit, ejus mentem ex lib. ad scapulam hic produ-

facilior nobis rariorque appareret imaginum disciplina; idque sentit perbelle vir subtilis; qua de causa addit lib. I. de imagin. Cap. 6. pag. 81. edit. Elzev. *Habeo longe majus, et certius hujus, quam ago, causae argumentum.* Ast virum, quem nudius-tertius reformati ad stuporem laudarunt litteratum, antiquitatisque universae cognitorem, ac interpretem, me comite invenient nunc versipellem malae causae patronum. Eruditissimus Natalis Alexander refutavit quidem Dissertatione singulari ad Saeculum octavum, quae est ordine sexta in novis. edit. Bingeni totum Dallaci de imaginibus opusculum; sed

---

ere juvat. Sed et clarissimas foeminas, et clarissimos viros, Severus sciens hujus sectae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit. Et in Apolog. Obsessam vociferantur civitatem: in agris, in castellis, in insulis christianos; omnem sexum, aetatem, conditionem, etiam dignitatem, transgredi ad hoc nomen. Quodsi ex actis rem istam deducere vellemus, occurrerent Flavius Clemens, cujus Epitaphium explicat Mamachus, Agleas nobilissima Romana, Vincentius nepos nobilissimi consulis Agrestii, Julitta et Cyriacus, Felicitas, Crispina, Andronicus etc. etc. — Licinii edicto christianos a Magistratu submotos fuisse, narrat Eusebius in Vit. Constant C. 54.



eum caput sextum lib. I. praetermiserit; ne quidquam ex Dallaei opusculo maneat intactum, quo superbus gloriari posset adversarius, hoc integrum caput ad nostram revocare incudem haud incongruum putamus, et primo quidem demonstrabimus, licitum fuisse christianis pingere, aut sculperere, christianosque hanc practice exercuisse artem; deinde Dallaei adserta, quae ex Tertulliano aliisque affert, diluemus diligenter; postremo §. sequenti ex actis martyrum catalogum pictorum christianorum dabimus.

Mittimus illas picturas, ac imagines, quas pietas sub nomine S. Lucae evangelistae circumfert, \*) nec illam in nostrae causae probationem proferemus statuam mulieris haemouoifsae, quam refert Eusebius, quia Dallaeus eas rejicit, etsi inaniter, ut alibi innuimus. Fortiori ergo jure interrogamus adversarium; quis illas picturas, imagines, statuas fe-

---

\*) Licet imago a Luca depicta ab aliquibus viris criticis rejiciatur, ab aliis tamen tanquam vera defenditur. Confer Card. Gotti de vera Christi ecclesia Tom. 2. part. 2. art. 16. — Gretserum de imaginib. a S. Luca depictis cap. 18. Aringhium Roma Subterranean. Tom. II. lib. 4. C. 46. — Joan. Jacob. Chiffletium de linteis sepulch. Crisis Histor. C. 32. etc. edit. antversp. 1624. Mallonium ad Paleotum de Sindone Jesu pag. 40. Cap. 2. edit. duacens. 1607.

erit, quae occurrunt in poculis et vitris, quibus in sacris epulis, et agapis usi sunt christiani primitivi? Quae occurrunt in gemmis, annulis, vasculis, lucernis, et coemeteriis veterum christianorum, quae omnia ultra tertium saeculum transferre nefas foret. Interrogamus, quis illas statuas, ac picturas fecerit, quas tanquam antiquitatis apertissima signa produxere Bosius, Aringhius \*), Ciampinius, Boldettus, Baronius, Buonarotius, Bottarius, Mamachius, Browerus? \*\*) Profecto ex his praeclaris operibus recta via colligimus, licitum fuisse, hanc artem exercere, multosque fuisse artifices. „Potissimum Romae, et in quibusdam aliis Italiae civitatibus — scribit eruditiss. Franc. Anton Dürr Diss. de Probatione per picturas pag. 9. — in usu fuisse sculpturas et picturas sacras discimus ex sarcophagis et vitris romanis christianorum, quae adhuc hodie supersunt; ratio dubio procul fuit, quia extabant ibidem in maximo numero pictores, et sculptores

---

\*) Confer Lib. VI. Tom. II. ubi plurimas adfert imagines antiquissimas a Cap. 13. usque ad 24. Plura de imaginibus afferunt Petavius, Tournely, Natalis Alexander, Zechius de jure rerum eccles. Sect. I. Tit. VI. etc.

\*\*) Recte J. C. W. Augusti christl. Alterth. Seite 203. Die Behauptung, daß es vor dem Zeitalter Konstantins gar keine christliche Kunst gegeben habe, ist völlig grundlos.

gentiles, qui conversi christianas sculpturas, et picturas in tanto numero efformarunt.“

Haec quidem generaliter demonstrant, quam egregie erraverit Dallaeus, sed plura nobis supersunt. S. Gregorius Nisenus de magno Martyre Theodoro loquens, ait: „Induxit etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta martyris, repugnantis, cruciatus, efferatas, et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeum illum fornacem . . . omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores martyris nobis expressit, et tanquam praeclarum amoenum, et floridum templum exornavit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse; lapillorum ita concinnator historiae par opus in pavimento, quod pedibus calcavit, effecit.“ Asterius Amasenus apud Rutenarium Tom. III. pag. 150. templum ingressus unam quamdam ex porticibus transiens, vidit in ea picturam, cujus species ipsum omnino cepit, „Dixisse — inquit — Euphranoris (celebratissimi pictoris statuarii etc.) „artificium esse, aut eorum alicujus, qui olim plurimum dignitatis picturae conciliant, non aliter pingentes, quam si vivas in tabulis formas exhiberent.“ Haec pictura S. Virginis Euphemiae martyrium repraesentabat. Pictor enim, ut pergit Amasenus, pietati et ipse studens,

artis opera, historiam totam in sindone, quam licuit viva expressione designans, ibidem juxta sepulchrum, sacram ad spectaculum appendit tabulam. Quam picturam longa oratione explicat Asterius. Porro S. Paulinus Poemate 18. de S. martyre Felice ejusque aede et cultu cantans:

Cedo, alii pretiosa ferunt donaria, meque  
 Officii sumtu superent, qui pulchra tegendis  
 Vela ferant foribus, seu puro splendida line  
 Sive coloratis textum fucata figuris.

Hi leves titulos lento poliant argento,  
 Sanctaque praefixis obducant limina lamnis,  
 Ast alii pictis accendant lumina caeris. etc.

Similiter S. Prudentius in Hymno S. Hippolyti  
 M. apud Ruinart Tom. I. pag. 387. Vers 121.

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo  
 Multicolor fucus digerit omne nefas.  
 Picta super tumulum species liquidis viget umbris  
 Effigians tracti membra cruenta viri. etc.

Et in Hymno S. martyris Casiani apud Ruinart  
 Tom. III. pag. 238.

Aedituus consultus ait: quod prospicis, hospes,  
 non est inanis, aut anilis fabula.  
 Historiam vetusti temporis monstrat fidem.

Verum quidem est, Viros hos, quorum protali-  
 mus testimonia, minime prima attigisse saecula;  
 sed attendat vir criticus, ipsos loqui de re antiqua-  
 ta, minime recens introducta, de figuris non sua

aetate depictis, sed ante eorum originem notis. Ait enim S. Prudentius V. 6. in Hippolyto.

Cum coleret patrios Troja Roma Deos  
Plurima litterulis signata sepulera loquuntur  
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Nominavit quoque martyrium Casiani historiam vetusti temporis. Unde Cla. Lamius lib. de erudit. Apost. pag. 315. scribit: „Cum haec pictura in criptis subterraneis esset, quo se christiani, ethnicis in eos saevientibus, ad laudandum deum conferebant, inverosimile non est, eam illa ipsa aetate elaboratam fuisse, qua vel persecutio ipsa ferociebat.“ Hiuc omnes illas martyrum historias depictas statim post mortem ipsorum peractas fuisse, recte iudicare licet. Antiquorum enim usum fuisse, in sepulchris historias illorum, qui defuncti ibi quiescebant, depingere, multis docent supra citati Aringhius, Browerus, illumque et in templis extitisse, ostendit antiquissimum monumentum, quod affert Mamaehius Tom. II. antiquit. Christ. pag. 125. de ecclesia Laodicensi. \*) *Et totam ecclesiam extruens*

---

\*) Ex his apparet, quam egregie erraverit Basnagius in adnotat. ad Cogitosum Tom. I. Thesaur. Monumentum. Canisii Part. I. fol. 415. scribens: ineunte saeculo sexto nondum imagines depictas extitisse in parietibus templorum.



*a fundamentis, et omnem ejus ornatum porticum, et vestibulorum, et picturarum.*

Sed quid disita perambulemus Romanorum, aliorumque limina; immoremur potius in Galliis, in quibus degebat Dallaeus suos quatuor contra imagines scribens libros. Cla. Ruinart annotat Remis superesse adhuc antiquissima pavimenta in tribus Basilicis, in quibus variae insculptae sunt historiae sacrae, sanctorumque actiones. S. Gregorius Turonensis pluribus in locis memorat picturas ecclesiae parietum. Libr. I. de Gloria Martyrum Cap. 65. agit de Basilica Antoliani Martyris apud Arvernos. *Erectis parietibus super altare aedis illius, turrem a columnis, pharis, heracliisque, transvolutis arcibus erexerunt, miram camerae fucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam.* Addit Gregorius hoc opus tam elegans, et subtile fuisse, ut ruinae periculum cernens Avitus pontifex, anticipans futuram coluniarum stragem, iusserit tigna, aseresque vel tegulas amoveri. Libro 7. C. 36. milites Gundobaldo insultantes adducuntur hisce verbis: *Tunc es pictor, qui tempore Chlotharii regis per Oratoria parietes atque cameras caraxabas?* id est: pingebas, ut Du Cangius docet V. *Charaxare.* Praeclari sunt versus Ennodii in Baptisterio agello, ubi picti erant martyres, quorum ibi reliquiae conditae erant.

Rapta sepulturis animavit corpora pictor.

Funera viva videns mors eat in tumulos.

Illorum tamen iste locus complectitur artus,  
quos paries facie, mens tenet alma fide.

Plura alia ejusmodi generis documenta in Galliis contemplari potuisset, in quibus et nostra dogmata mire dilucidantur, vivisque conspicerere oculis, nisi studio clausisset.

Nec quis regerat: Pictores pro ea, quam habent quidquam audendi, potestate multa more poetarum confingere, historiaeque veritatem corrumpere. Et enim

Multi licent stultis, pictoribus atque poetis.

Hoc profecto mirandum, ait Casalius de V. Christian. ritibus C. II. pag. 27. edit. francof. 1681. ut quis mentis compos de antiquis christianorum picturis sic sentiat. Etenim et si recentiores pictores, sive quod artis elegantiam ostentare malint, non raro peccent, transiliuntque historiae lineas; non tamen propterea antiquorum pictorum, ac sculptorum (de christianis loquor) quibus certe quidem religio erat, ab historia vel minimum discedere, fidem elevabimus. \*) Esto tamen quid ausi fuerint

---

\*) Romanorum pictorum integritatem, imagines juxta veram corporum delineationem formandi ostendit Diodorus Siculus in Photii Bibliotheca Cod. 244. Nr. 625. Notanda hic praeprimis verba authoris

pictores, nostra tamen legitima permanebit probatio, licitum fuisse omnibus aetatibus christianis pingere, pictores reuera extitisse apud omnes nationes christianas ab aevo illo, quo introducta in terram earum fuit religio salvifica; quod et ab aliis gentibus V. G. nostris Germanis, aut si otium supereset, etiam ab Armenis, aliisque antiquis schismaticis deducere possemus. Sed de his superabundanter in suis Kalendariis universae ecclesiae Tom. I. Part. I. Cap. V. pag. 26. Clar. Josephus Simonius Afsemanus, ex quibus et Caput ultimum, sive octavum libri primi Dallaei, inscriptum: *Nona ratio denique ex eo, quod apud Armenios, vetustissimos schismaticos, nullae sint imagines*, a Natali Alexandro pariter praetermissum multis, apertissimisque testimoniis refutatur.

Officium nunc postulat, ut, antequam finiamus,

---

protestantici, sed cordati I. C. W. Augusti christl. Alterthümer Seite 226. Die Malerei ist, nach Tradition, und zuverlässigen Zeugnißen, unter den christlichen Künsten nicht nur die älteste, sondern auch, da sie selbst von den orientalischen Rigoristen für unschuldig erklärt ward, und vor ihren Augen Gnade fand, die am meisten ausgebildete. Obgleich aber nach der alten Regel: *Pictoribus atque poetis etc.* das Gebiet der Malerei, wie der Dichtkunst, unbezrenzt ist, so finden wir doch, daß sich die christlichen Maler fast ohne Ausnahme auf das bezeichnete Gebiet beschränkt haben.

Dallaei argumenta, quae affert pro sua sententia, diluamus. Et primo pag. 85. provocat ad Tertullianum lib. de idololatria C. 7. Objicientibus — ait Dallaeus \*) — istis pingendi, et fingendi artificibus sibi fame pereundum, nisi hanc, quam unam noverant, artem exercent, suadet, ut industriam ad aliquod opus suo simile transferant; qui signum describebat, abacum linat, qui Martem extilia exsculpebat, armarium compingat, et artes denique exercent, quae sine exorbitatione disciplinae victum praestant. Quis non intelligit istum, si putasset sola idola christianis vetita, non autem omnia omnino simulacra, hoc loco hujus generis artifices monituros fuisse, ut fingendis Caesarum, aliorumque viventium imaginibus operam darent, unde non minor, neque incertior quaestus rediturus erat, quam ex Deorum signis? Quod si illius temporis Ecclesia omnis generis imaginibus sic ornata, et variegata fuisset, ut est hodie Romana, quis dubitat, quin istos jussurus fuerit, non artem, sed speciem operis mutare, christique sanctos, et martyres pro Diis Daemonibusque fingerent? Cum ergo nihil hujusmodi Tertullianus suggerat, cum artes illas

---

\*) An primo decalogi praecepto omnes statuæ, aut imagines prohibeantur, vide disputantem emunctae naris interpretēs Smitium Isagoqe ad Exod. XX. pag. 448. — Van Hoveum Tom. I. in Deuterion. Diatriba ad Cap. V. §. 8. Calmetum aliosque.

plane abroget; pictoresque et sculptores in tectores, materiariosque opifices commutet, perspicuum est putasse eum lege divina pariter vetitum esse et ecclesiae sanctos, et paganorum numina pingere, aut omnino arte aliqua simulare, totumque illud artificii genus simpliciter esse illicitum, ac hujusmodi, quod nemo christianus integra pietate exercere queat.

Haec verbotenus Dallaeus, an serio, an simulate, nescio. Certe Tertullianus hic solum agit de idolorum artificibus, ac pictoribus. *Exinde — ait jam caput facta est idololatriae ars omnis, quae idolum quoquo modo edit. Neque enim interest, an Plastes effingat, an Caelator exsculpat, an Phrygio detexat: quin nec de materiis refert; an gypso, an coloribus, an lapide, an aere, an argento, an filo formetur idolum. . . Idolum tam fieri, quam coli, Deus prohibet.* — Postulatio autem, quam posuit Dallaeus, sane ridicula est. Qui enim Tertullianus suggerere, aut jubere potuisset imagines, aut statuas Christi publice facere, aut pingere, cum christianus esse crimen fuerat capital? Nonne haec exercitatio, publica fuisset accusatio? Porro cum aevo hoc rariora erant templa, rariora oratoria, christianis in cryptis, aut coemeteriis commorantibus; dicitur mihi, quomodo pro ornatu ecclesiarum solum hanc pingendi sculpendique artem exercere potuissent? Ethnici ubique templa, ubique idola habuerunt; christiani adorarunt et in de-



mibus propriis vix securi. Nonne risui ludibrio-  
que sese exposuisset Tertullianus, si artificibus ta-  
libus ejusmodi exercitium proposuisset, quo nec  
vivere possent, quod nec publica agere ausi fuif-  
sent? *De mercedibus et manuspretiis*, ait ipsemet  
Tertullianus lib. cit. pag. 449. edit. Parisiens. 1566.  
*interest. Proinde interest et de labore. Minor mer-  
ces frequentiore actu repensatur. Quod parietes sig-  
na desiderant? Quod templa et aedes idolis aedifi-  
cantur? Domus vero et praetoria, et balnea et  
insulae quantae? Soccus et baxa quotidie decuratur,  
Mercurius, et Serarpis non quotidie. Cum igitur ad haec  
artificiorum genera cohortemur, quae idolum quidem  
et quae idolo competunt, non attingant, sint autem homi-  
nibus communia saepe, quae et idolis, hoc quoque ca-  
vere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliqui-  
bus de manibus nostris in rem idolorum postule-  
tur. \*) Unde observat T. M. Mamachius Tom. III.*

---

\*) Tertullianus adhuc clarius mentem suam de imagi-  
nibus explicat in lib. 2. adv. Marcion. C. 22. —  
Proinde et similitudinem — ait — vetans fieri  
omnium, quae in coelo, et in terra, et in aquis:  
ostendit et causas, idololatriae scilicet substantiam  
cohibentes; subjicit enim: non adorabitis ea,  
neque servietis illis. Serpentis autem  
aenei effigies postea praecepta Moysi a domino,  
non ad idololatriae titulum pertinebat, sed ad re-  
mediandos eos, qui a serpentibus infestabantur:

antiquit. pag. 319. Etsi enim idololatriæ metu deterriti plerique omnes fuerint, quominus iis artibus sese darent; tamen aliqui easdem coluerunt, qui in hoc genere non tam excellentes, ut gentiles solebant, fuerunt. Causa erat, quia haud frequentior praxis, non quotidianus usus. Confer quoque Baronium ad ann. 303.

Provocat porro Dallaeus ad alterum Tertulliani textum ex libro adversus Hermogenem Cap. I. *Praeterea pingit licite, nubit assidue; legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit. Bis falsarius, et cauterio et stilo, totus adulter et praedicationis et carnis.* Nimirum existimabat Hermogenes christiano homini licere et pingere et nuptias iterare; Neutrum vero Tertullianus admittebat. Quia autem horum alteram, nempe picturam, scriptura videtur vetare, alterum, nempe secundas nuptias permittere, ideo ait, *istum legem Dei in libidinem de-*

---

et taceo de figura remedii. Sic Cherubim, et Seraphim aurea in arcae figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitorum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. etc. Haec et plura alia ibidem Tertullianus, ex quo apparet, juxta ipsum nec in veteri lege totaliter imagines prohibitas fuisse.

*fendere, in artem contemnere.* Haec Dallaeus pag. 87.

Siccine in tui erroris causam interpretaris Tertullianum? Dallae! Longe aliter alii interpretantur. Audiamus Beati Rhenani annotationes ad hunc Tertulliani textum. „*Pingit licite.* Hermogenes iste Africanus, arte pictor erat. Nec vero prohibitum usquam pingere, si obsoena, ignominiosaque excipias. Hoc est ergo, quod dicit: *pingit licite.* *Nubit assidue.* Videtur Hermogenes non solum Polygamiam defendisse, sed dimissis, aut mortuis uxoribus nova superinducta matrimonium saepe repetiisse. Tertullianus autem adeo favit castitati, ut Cataphrygarum tandem secutus delirium, secundas nuptias contra Apostolum Paulum damnarit, quae res fecit, ut ipse postea abjectus sit extra ecclesiae consortium, *Legem dei in libidinem defendit.* Propter iteratas saepius nuptias, quod negabat fieri debere Tertullianus. *In artem contemnit.* Nam pictoriam deseruit, quae ars ex se mala non est. Praecipit autem lex Dei, ut labore manuum vivamus. Caeterum maluit otiosus esse seductor populi, quam pictor. — Dicito mihi nunc, quis genuinum, sincerumque tetigit Tertulliani sensum? Dallaeus, an Beatus Rhenanus? Illud certo certius habeo ex plurimis aliis Presbyteri Carthaginensis locis, ipsum secundas nuptias damnasse. Qua igitur ratione Dallaeus putat, Tertullianum ex lege Dei iteratas nuptias licitas iudicasse? praesertim cum illico adpit Tertullianus: *Siquidem et nubentium contagio*

*foeret.* — Sed ut me erga Dallaeum benignum ostendam, totus largior, ipsum mentem Tertulliani acutius tetigisse; quid ergo lucri exinde reportabit? Parum me iudice, aut nihil. Redarguebat enim Hermogenem Tertullianus, non quod de se vitio tribuenda esset ars pingendi, sed quia in illa temporum calamitate publice, et ex professo tabulas pingere idem erat, ac idola conficere. Vel enim pictor publicus petentibus tabulas idololatrias annuebat, quod erat peccatum, quia, ut supra Tertullianus agebat: *idolum tam fieri, quam coli prohibuit Deus.* Vel abnuebat, quod idem erat, ac sese persequentibus tradere. Fors Hermogenes idola fecerat, aut pinxerat. Confer Gotti de vera Christi ecclesia. Tom. II. P. II. pag. 326.

Pergit tamen Dallaeus pag. 93. Non in uno Tertulliano hanc opinionem tulit vetus ecclesia. Constat Clementem Alexandrinum, ejusque discipulum Originem, antiquissimos, longeque celeberrimos auctores fuisse ambos in eadem sententia, eamque mandasse litteris, neque aut a sui temporis catholicis, aut a posteris eo nomine vel reprehensos, vel notatos. Clemens enim in Protreptico de Paganorum simulacris verba faciens, nosque beatos praedicans, qui eo spectaculo careamus. *Nobis enim, inquit, est aperte vetitum fallacem artem exercere. Non facies enim, inquit Propheta, cujusvis rei similitudinem eorum, quae sunt in caelo, et quaecumque sunt in terra infra.* Item libro sexto stroma-

tum: *Quemadmodum, qui aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in aë, que meretur, malae jure incidit; ita qui divina opera sibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem etc.*

Putasne feliciorum hac in via esse Dallaeum? Minime gentium. Ex eo enim, quod prohibet fallacem artem exercere, minime morem \*) ecclesiae damnat Clemens, sed repetit legem Mosaicam, qua prohibitum erat simulacra deorum, more gentilium, ut adorentur ea, fingere, opponitque praxin fidelium praxi ethnicorum hac super re, declarans, nullum idolum, nullas imagines reperiri apud christianos, quales habent sui temporis ethnici, nec ejusmodi facere, licitum esse. Quid vero haec ad Catholicos? Numquid — verba sunt Cla. Nourrii *Diss. de Clemente Alexandr. C. 8. art. V.* — quia pagani idola, aut imagines horum impio sane abusu posuisse dicuntur, idcirco christiani, qui statuas christi domini etc. apud se retinuerunt, ejusdem impietatis condemnandi sunt? Nemo, opinor, sanae mentis homo id dixerit: Quis enim non videt, chris-

---

\*) Strictam legem imagines venerandi nunquam agnovit ecclesia catholica, nec hodie talem novit. Nescio ergo, qua fronte Dallaeus pag. 90. scribere potuit. „Nullus II. aevi scriptor testatur: univ. versalem tum fuisse ecclesiae catholicae aut legem, aut morem, ut pictis calicibus uterentur omnes christiani.“ Morem ostendimus, legem ignoramus.



tianos alio sane consilio, alio prorsus more et ritu retinuisse, et servasse imagines, et statuas Christi, et sanctorum.

Superest Origines, ad quem appellat Dallaeus. Ipse lib. 4. Contr. Celsum scribit. *In civitatem eorum (Judaeorum) nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, nequa occasio praeberetur hominibus crassis, neque animi eorum a Dei cultu avocarentur ad res terrenas, per hujusmodi illecebras.* Quod ut probet haec ex Deuteronomio recitat: *Habebant enim (inquit) inter caeteras legem hanc: nolite impie agere, nec facietis vobis sculptile in similitudinem aut imaginem masculi vel foeminae.*

Sentit sine dubio et ipse Dallaeus, quam erronee provocaverit ad Originem; addit idcirco: „non jam quaero, verane sit, ac secus istorum sententia; neque enim id nunc agitur; tantum hoc pertendo, qualiscunque sit, eam certe non impune, neque sine censurae nota passuram fuisse apud suos doceri veterem ecclesiam, si idem, quod nunc Roma, de imaginibus sensisset. Ergone tu nos falsis tentas impugnare sententiis? Quid provocas, nobisque ergo objicis illa, quae falsa credis? *Sed id nunc non agitur?* Quid ergo? Artem pingendi illicitam, apud veteres nullos lege permittente extitisse pictores, ex Origine deducere velis? Unde igitur haec habes? Nunquid de Judaeis loquitur Origines? Et apud

illos ipsos judaeos ars pingendi, sculpendi, fingendi licita erat, laudabanturque tales artifices. Lege librum Exodi XXXI. 33. et Difs. I. in Exod. Wilhelmi Smitii antverpiensis Tom. II. in Exod. pag. 150. et Ariae Montani antiquitates judaic. lib. III. Tom. VI. criticorum Ss. edit. Francoford. fol. 618. Sed simulacra facere ad adorandum ea, prohibuit Moyes, prohibuit vetus ecclesia, prohibet et hodierna Roma. Quod ergo pertendis, vanum est.

„Quemadmodum simulacrorum sculptores — ait lib. „8. contra Celsum Origines — longe plurimum inter se differunt, ita ut quidam opus aliquod mirifice fingant, ut Praxiteles, et Polycletus; vel ex pictoribus Zeuzis ille et Apelles, alii vero in statuis hisce effigiandis sint longe inferiores; et alii item fictores longo ab his intervallo absint, quos secundo loco posuimus, ac demum inter statuarios multum, nec minus inter pictores intersit. Sic etiam inter christianos existunt, et reperiuntur nonnulli, qui veri Dei longe melius, quam alii quidam, et perfectiori ex arte simulacra haec faciunt.“

Tandem ultimo loco a Dallaeo adducitur S. Joannes Chrysosth. homil. 49. in Matth. de variis artibus disserens. *Neque has modo, inquit, sed nec pictorum quidem, aut Phrigionum, aut plumariorum artem esse dixerim.* Cujus dicti, pergit Dallaeus pag. 101. — hanc adfert rationem, quod vitae humanae inutilia sunt, quae ab istis fiant opera

Hanc vero, o sanctissimum os! Tunc eam ex artium numero expungere audes, quae tuis ecclesiis ornamenta, quae populo omni christiano, tibi quae adeo ipsi suavissima, atque utilissima pietatis exercitamenta vel una maxime suppeditat? Quid ad hanc querelam respondere aliud posset, si jam in terris viveret, vir ille longe optimus, atque facundissimus, nisi quod orationem minime solitus sit exigere ad eas opiniones, quae non nisi multis post se aetatibus in usum Romanorum receptae fuerunt.

Heus! Qualis Dallai exclamatio? Aestus quantus? Zelum domini comedisse ipsum, putares; veruntamen spiritus mendacii, spiritus falsi testimonii pervertit ipsum. Audias, quaeso! ipsum antistitem loquentem homilia mihi quinquagesima in Matth. edit. Basil. 1539. Tom. II. fol. 290, non quadragesima nona, ut Dallaeus citat. „Quodsi  
 „commodissimis, et necessariis in hoc saeculo arti-  
 „bus tantum praestat, ut puta medicinae, aedifica-  
 „toriae, caeterisque hujusmodi; quanto magis (ars  
 „bene faciendi) aliis excellat, quas nec artes qui-  
 „dem, si quis curiosius investigat, appellabit? Nun-  
 „quam enim ego superfluas, atque otiosas artes vo-  
 „cabulo artis esse dignas putabo. At enim ars co-  
 „quorum nobis prodest, immo vero ad quid non  
 „obest, cum tam corpori, quam animo non medio-  
 „criter officiat? Matrem enim omnium aegrotatio-

„num, atque passionum, deliciarum scilicet usum,  
 „magna pompa constipatam, in medium adducit.  
 „Neque pingendi artem, aut nummulariam artes ego  
 „nominarim: quippe cum nihil conferant necessa-  
 „riarum rerum, quibus vita nostra continetur, ar-  
 „tes constructivae sunt. Propterea mens divinitus  
 „nobis data est, ut artificia inveniamus, quibus fa-  
 „cilis, atque honestius vivere possumus: qui vero  
 „animalia in tabulis pingunt, aut in pannis inte-  
 „xunt, responde, quaeso! ad quid conducunt?  
 „Quas ob res, et a textentibus, et ab his, qui cal-  
 „ceos consuunt, multa sunt circumcidenda: neces-  
 „sitate namque superata ad delicatissima, atque su-  
 „perflua artes pervenerunt, quod aedificatoria quo-  
 „que ars passa est.“ Ita S. Chrysosthomus. Quid  
 nunc Dallaeus? Et coquinam artem, et aedificato-  
 riam illicitas praedicabit? Mens tota oratoris in eo  
 consistit, necessaria ab adiaphoris dissecandi, va-  
 nam in terrenis gloriam reprimendi, mulierumque  
 praesertim in vestimentis luxum extirpandi, qua de  
 causa concludit: *Quare non ad juvenes solum, ve-  
 rum etiam multo magis ad puellas, et mulieres haec  
 dicta esse velim: quae eo magis spectantur, quo  
 virginibus, et mulieribus honestatis decus magis  
 convenire videatur.* Abeat ergo exclamator, con-  
 stantinopolitanum antistitem saniori perlegat oculo,  
 et mente, praecipue ejus orationem, quam habuit  
 in honorem S. Meletii, in qua christianos laudat,  
 quod Sancti ejus imaginem, et in annulorum circu-

lis, et in calicibus, et phialis, et in thalamorum parietibus ubique exaraverint.

---

§. VI.

Catalogus artium, quas christiani exercuerunt, et quae connexionem habent cum arte pictoria.

Non interest — ait l. cit. Tertullianus — an Plastes effingat, an Caelator exsculpat, an Phrygio detexat; quin nec de materia refert; an gypso, an coloribus, an lapide, an aere, an argento, an filo formetur idolum. Recte id quidem. Nam diversis artibus, diversisque modis simulacra formari possunt. Scit enim, ut infra Tertullianus addit: *et Pictor, et marmorarius, et Aerarius, et quicumque caelator latitudines suas.* Sed si pingere, aut sculperere, ut Dallaeus vult, christianis illicitum fuerit; an caeterae artes, quae cum pictoria connexionem habent, sine piaculo exercere valuerint? Vel has omnes quoque damna, vel pictoriam cum illis approba. Ut tamen causam hanc perfectius agamus, indicem formare volumus illarum, quas nostri exercuerunt primis temporibus, quae vel connexionem cum pictoria habent, vel sine aliquali scientia is-



tius exerceri nequeunt. Caeteras mittamus artes, quas recensent longiori methodo Cla. Viri Joannes Lamius, et Thomas Maria Mamachius, quorum studiis me multum profecisse gratus profiteor.

*Aerarii*, id est: ii, qui aes cudendo fabricant vasa, imagines, statuas. Hos intellexit supra Tertullianus In Epist. II. ad Timoth. IV. 14. Alexander aerarius nominatur, qui restitit Paulo. Illum simul Rabbinum, et doctorem fuisse, nonnulli iuterpretes opinantur; Rabbinos enim frequenter opificium ali. quod cum litterarum studiis conjunxisse, et nominibus propriis illud opificii junxisse, docet Bartoloccius Bibliothec. Rabbin. Tom. III. fol. 793.

*Architecti*. Cum hi sine notitia delineationis vix concipi possint, recte hic pariter adducuntur. Amphiteatri Flavii architectum christianum fuisse, defendit Aringhius Roma Subterranean. lib. III. Cap. 22. ex inscriptione sepulcrali, quae Gaudentium nominat, contra quam opinionem plurimas monitiones animadversionesque composuit Lamius. Gaudentium revera architectum fuisse, certum est, an vero Theatri alicujus? non curamus. Multos primis saeculis architectos fuisse, liquido constat ex versibus S. Prudentii de S. Hypolito, et S. Eulalia; item ex supra citatis S. Gregorio Niseno et Asterio Amaseno, et ex documento, quod attulimus de ecclesia Laodicensi; porro et ex instrumentis anaglypho opere exsculptis apud Aringhiuna

Tom. II. Rom. Subterr. Cap. 37. fol. 281. et Muratorium Thesaur. inscript. fol. 405.

*Argentarii, et aurifices.* Vasa argentea, et aurea in usu fuisse in templis apud primaevos christianos, singulari eruditione docet Muratorius Diss. XVI. ad Paulinum, quam totam inseruit editioni Fleurianae de discipl. populi dei Cla. F. A. Zaccarias. Annulos aureos quoque memorat vetustissimus Clemens Alexandrinus. De Argentariis etiam agit S. Prudentius in Poemate S. Hypoliti, et in agone descripto Laurentii, ex quo Basnagius, asferens in praefatione ad lectiones antiq. Canisii aurea aut argentea vasa non novisse primos christianos, mire refellitur. Apud Eusebium Lib. V. H. Eccl. Cap. 23. occurrit Theodotus *argentarius*, ita et in epistola 21. S. Cypriani scribit Lucianus Confessor: *Opto vos bene valere, Alexium, et Getulicum, et Argentarios etc.* In actis S. Philippi Episc. Heracl. apud Ruinart Tom. II. pag. 439. *Vasa aurea, et argentea vel cuiuscunque metalli aut artis insignis* occurrunt. Argentariorum christianorum inscriptiones plurimas invenimus apud Muratorium et in Ephemeridibus litterariis florentinis de anno 1750. pag. 429. Sic et aurificis inscriptio apud Muratorium:

Locus Masumille aurificis cum Sevarino.

Cum autem aurificum esset, gemmas, lapillos, margaritas, auro, argentoque colligare, et in splendidas aptasque congeries disponere; harum descrip-

tiones ex S. Irenaei Proemio lib. I. et C. I. ejusdem libri, et Clement. Alexandr. Libr. III. Paedagogi C. II. repetere possumus. Vide quoque Hieronymum de vitis Patr. Lib. I. fol. 156. edit. Rosweidi, ubi occurrit aurificis institutum.

*Caelatores.* Hos nominat Tertullianus supra, qui in aere effigies sculpunt.

*Caementarii.* De Joanne Caementario agit Palladius in Histor. Lausiac. C. 43. fol. 738. qui ex urbe Lyco fuerat, cujus frater Tinctor fuit. Vide quoque Baronium ad ann. 32. N. IV.

*Fabri.* Multos christianos fabros fuisse vel lignarios, vel ferrarios etc. constat. De Fabro aerario mentionem facit pariter Palladius l. cit. Cap. 60. „Vidimus alium Presbyterum in partibus superioris regionis, Apellem nomine, virum justum, qui fabricae aerariae artem primum tractavit, et exinde conversus est ad exercitationem.“ Gaudentium quoque fabrum *quadratarium* fuisse, narrat Sidonius Apollinaris lib. III. Epist. 12. Inscriptionem, quam Fabretus Cap. 10. N. 495. ex Eupandrio affert, Lamius explicat de quadratario. Simeon Stylita aedificavit sibi, ut S. Hieronymus refert in vitis PP. apud Rosweid. lib. I. fol. 171. clausuram ex lapide sicco.

*Figuli.* Hos nominamus, qui limo, sive terra statuas formare sciunt. Ex hac materia simulacra pariter facta fuisse nemo ignorat. Imperatorem Va-

lentinianum I. hanc artem novisse, et exercuisse, refert Aurelius Victor. De his quoque intelligendus Tertullianus, ubi de *Gypso* agit; S. Avitus describens hominis originem, figuli artificium quoque delineat.

Non aliter, quam nunc opifex, cui artis in usu est  
 Flectere laxatos per cuncta sequacia ceras,  
 Et vultus implere manu, seu corpora gypso  
 Tingere, vel segni speciem componere massa.

*Flatuarii.* Artifices, et inclusores auri, et gemmarum, uti S. Hieronymus et S. Augustinus explicant. Apud Muratorium occurrit quidam *Fabrianus Flatuarius*. Haec ipsa ars *Constatuta* nominatur. Julius Firmic. lib. 6. *Falsarios facient, aut qui pecunias publicas Flaturarum adulteras artifices imitentur.* Unde Flator, et Flatuarius quandoque Monetarius. Vide Du Cangii Glosarium.

*Lapidarii et Lapididae.* Florum, et Laurum martyres, artem lapicidinam novisse, narrat Martyrologium Roman. ad 18. Aug. Fors et Julianus, cujus inscriptionem sepulchralem invenire licet in Aringhii Roma Subterr. Lib. 4. C. 37. fol. 259. *Lapidida* aut *Lapidarius* fuit, quia quaedam hujus artis instrumenta addita sunt. Plura talia instrumenta apparent ibidem fol. 260. Antiquissimus Hermas in Pastore lib. 3. *Quid faciemus de his lapidibus? Et ego dixi; Domine nescio . . . ego enim artem hanc non novi, neque lapidarius sum.*

Simeon Stylita, ut Hieronymus in ejus vita Cap. 5. narrat, aedificavit sibi clausuram ex lapide sicco. Vide notam Rosweidi ad h. loc. in vitis Patrum fol. 176. N. 8. Palladius in Lausiaca C. 6. fol. 712. narrat: Macarius presbyter et praefectus Proctotrophii eorum, qui sunt corpore mutilati, talem actum excogitat. Erat enim is a juventute *lapidarius*. Ad eam autem accedit, dicit: in me inciderunt pulchrae gemmae, Smaragdi, et hyacinthi. etc. S. Anastasius Persa juxta Surium lapidarius fuit.

*Marmorarii*, qui statuas e marmore fecerunt. Hos supra Tertullianus nominavit. Ex inscriptione, quam Aringhiius lib. 3. C. 2. fol. 410 ex coemeterio Lucinae affert, recte colligimus, marmorarium fecisse hoc Epitaphium. In Ecclesia S. Martyris Felicis marmorariorum opera fuisse, canit S. Paulinus Poemate 26.

Trina manus variis operata decoribus illam

Excoluit: bijugi laquearii, et marmore fabri.

Pictor imaginibus divina ferentibus ora.

Peritissimos Marmorarios petiit Rex Theodoricus a Daniele marmorario, ut narrat Cassiodorus lib. III. Epist. 19. et lib. I. Epist. 6. Plura antiquis diebus marmorea Diptycha fuisse, alibi annotavimus. Vide commentar. nostrum de libris Baptizatorum, conjugatorum, et defunctorum, Part. III.



*Musivi operis artifices* narrat supra §. V. laudatus S. Gregorius Nisenus, et Turonensis. Felicem episcopum ecclesiam B. Stephani M. musivo et marmoribus decorasse, indicat inscriptio apud Gruterum pag. 1154. — Vetus inscriptio Romae est: *T. Julius Aug. lib. Niceph. Musciar. fecit sibi, et libertis, libertabusque eor.* Musciarius hic idem, qui Musivarius. Anastasius Biblioth. in hist. eccl. recenset Jconas ex Musio factas, Musium enim antiqui usurparunt pro Musivo opere. Catalogus Episcop. Catanensium apud Rocchum Pyrrum habet: Fecit exedram majoris ecclesiae pingere, et chorum, et cathedram Episcopi in choro ex Musio; unde et ars musiarum ab aliquibus nominatur: sic Leo Ostiens. lib. 3. C. 29. Artifices destinat peritos in arte Musiarum, et quadratarum. Plura hujus generis exempla affert Du Cangius in Glossario.

*Pictores* fuisse; supra satis ostendimus. Quaedam tamen hic adjicere licebit. Gnosticos, varias picturas habuisse, \*) narrat S. Irenaeus de Carpocrate Cap. 24. Gnosticos se vocant, etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas, habent, dicentes formam Christi factam a Pilato etc. Vide quoque Malonius in notis ad Paleotum de imagine Jesu. Ter-

---

\*) Eadem habet S. Epiphanius Haeres. 27.

tullianum in lib. de pudicitia de picturis loquentem, quem explicare studet Dallaeus, in nostram causam egregie defendit Natalis Alexander Dis. contra Dallaeum. De pictore etiam Aringhius in inscriptione supra cit. ex Tom. I. fol. 410. S. Anastasium Persam ex eo, quod picta certamina martyrum in ecclesiae parietibus intueretur, incensum fuisse ad martyrium subeundum narrat Baronius ad ann. 614. N. 38. — „Quod autem imaginum institutio non nova; sed prisca sit, et apud sanctos, et eximios patres nota, et usitata; — sunt verba „Joannis Damasceni Orat. I. de imag. — discite ex „illis, quae in vita B. Basilii ab Helladio ejus discipulo, et in Pontificatu successore, conscripta „sunt. Pius enim vir, ut ipse narrat, Dominae „nostrae adstabat imagini, in qua etiam Mercurii „celebris martyris figura descripta erat.“ Plures imagines in vitris depictas, ex vetustissima antiquitate afferunt, et suis notis illustrant Aringhius, Mamachius aliique, ex quibus recta via colligimus; multos primis saeculis extitisse *pictores*.

*Sculptores.* De his vide supra Part. I. § VI. n. Antiquarum sculpturarum christianarum imagines aere incisas afferunt Aringhius, Mamachius aliique. Apud Fabretum pag. 587. occurrit graeca inscriptio, in qua Eutropus nominatur, quem sculptorem fuisse, ex instrumentis adjectis colligere licet. *Pisissimus hic Eutropus — scribit Fabretus —*

inter Martyres videtur adscribendus, ex vasculo illo, quod tanquam sanguine pro christo effuso repletum ostentat, laevaue manu sustinet, pafsis am-  
 babus in modum orantis. Artificium ipsius dum in humanis versabatur fuisse sculptoris, aut dignioris artis vocabulo statuarii, ab eleganti illo Sarcophago; cui terebram admovet, modo his temporibus usitato, ut pueri ope chordula circumplexa, et hinc inde brachiis alternantibus agitata, volvatur, satis colligi videtur.

*Signarii* artifices, qui statuas faciunt, dicti Arnobio lib. 6.

*Significes.* Apud Mamachium Tom. III. antiq. pag. 319. haec inscriptio occurrit.

Mactio Aprili artifice signario, qui  
 vixit annis XXXVII. meses duo dies V. bene-  
 merenti in P.

*Statuarii.* Apud Baronium ad ann. 303. N. 15. Martyres Severus, Severianus, Carpophorus, et Victorinus, arte statuaria praediti nominantur. Hi enim, quod simulachra deorum sculpere noluisent, christianitatis titulo scorpionibus caesi sunt. Apud Rosweidum in vitis Patrum seniorum lib. V. fol. 622. mentio fit statuae alicujus, ad quam quotidie ibat Abbas Anub, et Abbas Pastor. — Et Macedonius apud Theodoretum lib. IX. PP. Sen. aiebat ad imperatorem fol. 823. Nobis quidem imagines a-

neas effingere, et cursus formare, est in promptu, et facile. etc.

Haec autem omnia, ut remur, sufficiunt ad Dal-laeum, ejusque sequaces apertae falsitatis, erroris-que convincendos, quando repetere audent et anti-quis primisque christianae societatis lustris picturas non extitisse, aut minime licuisse, hanc artem exer-cere veros Christi alumnos. Profecto qui haec tot antiquissimis monumentis illustrata in dubium vo-care adhuc audet; aequiori modo nos de ejus sana mente dubium movere possumus.

---

§. VII.

Extitisse monasteria primis saeculis ex actis legitime deducitur.

Ab apostolicis diebus in ecclesia extitisse virgi-nes Deo devotas (idem de viris) quas praxis anti-qua *ecclesiasticas* dicebat, quae perpetuam castita-tem servantes privatim communibus vestibus utent-ur in aedibus paternis vivebant, et a parentibus, vel si necessitas id postulabat, ab episcopis ex ecclesiae thesauro, aut redditibus alebantur, apud omnes eru-ditos in confesso est. Plures hasce virgines laudant

acta Martyrum, sicut et earum vivendi rationem commendant. Verum an primis tribus saeculis extiterint caenobia Virginum masculorumque, qui ab aliis secernentes se in habitu et sociali vivendi consuetudine vivebant, a plerisque catholicis dubitatur, ab acatholicis expresse negatur.

Cum nostris temporibus omnes quasi conjurata ira in haec sancta Jesu Christi seminaria, (jure sic nomino monasteria) insurgere solent, et persequi, serpentinoque odio ea evellere tentant; operae pretium duxi, monasteriorum originem accuratius inquirere, ad quod nobis plurima praebent acta Martyrum documenta. Clariss. Adrianus [Daude in II. Difs. Majestas Hierarch. inscripta et anno 1746. Wirceburgi edita pag. 25. asserit, collegia virginum coenobiticam vitam exercentium tribus primis saeculis in ecclesia floruisse; verum cum id ex quibusdam spuris Jgnatii Martyr. Epistolis tantum probat; nihil inde apud nostri aevi criticos evincere valebit. Celeberr. Thomassinus Lib. III. part. I. de V. et N. Discipl. Cap. II. pag. 3. edit. Mog. scribit. Quantumvis connitaris ad antiquitatem clericorum conventibus aucupandam, nulla eorum fundamenta occurrunt, nisi saeculo IV. exeunte. — Et Cap. 12. pag. 92. Quod ad originem spectat — scribit — monasteriorum, jam praesumptum illud animo est, et omnino exploratum, non potuisse ea ante ecclesiae pacem, imperio Constantini partam efflorescere. De-



tonuisset persecutionum crebra tempestas in haec christianae pietatis sacraria; utque eorum originem siluisset historia, non tacuisset certe ruinam.“ Et haec opinio omnium fere eruditorum sensibus inedit, ut Binghamus, Selvaggius aliique referunt.

Veruntamen in actis S. Bonifacii M. qui passus anno 290, occurrit S. Aglaes faemina praedives, filia proconsulis Acacii, quae ter candidam egerat apud urbem Romam ex praefectura, sed et procax, postea conversa abrenuntiavit mundo, et pompis ejus, universa, quae possidebat, distribuens egenis. *Relaxans autem et universam familiam suam diversi sexus et aetatis a jugo servitutis, sic cum paucis puellis cum ea abrenuntiantibus famulata est Christo . . . supervixit autem B. Aglaes in habitu sanctimoniali annos tredecim.* \*) Ecce! Hic appa-

---

\*) Apud Sozomenum Hist. Eccl. C. 12. occurrit quaedam Tarbula, Symeonis episcopi soror, virgo devota, quae una cum famula ipsius, quae idem vitae genus sectabatur, et cum altera sorore, quae post obitum viri nuptiis renuntiaverat, eandemque vivendi rationem erat amplexa, comprehenditur — Has revera virginitatem profensas fuisse, ex actis a Ruinartio editis colligitur. In actis Ss. Sadoth et aliorum Mm. apud Ruinart Tom. III. pag. 328. legitur. „Misis Rex satellitibus, ipsum episcopum Sadoth una cum ejus clero, aliisque finitimae regionis clericis, necnon monachis et ma-

ret foemina, distincta in vestibus \*) praeses aliarum foeminarum eandem vitam profitentium, et vocatur sanctimonialis. Haec si me non omnia fallant, aperte demonstrant, moniales iis temporibus extitisse, discretas ab aliis, sub certa norma viventes. Habitus enim Sanctimonialis, ut supra ex Bando inuimus, saepe apud antiquos pro professione monastica accipitur. Exemplum invenimus apud Baluzium Hist. Tutel. col. 308. *Cedimus ipsi filio nostro et filiae nostrae Emenanae; quam Deo ad sanctimonialium habitum tradimus pro tremore, et amore dei.* Insuper et nomen ipsum foeminas audit, quae propria, ut S. Augustin. Serm. 22. de verbo Dom. C. 1. scribit — et excellentiori sanctitate virgines in ecclesia nominantur, quas etiam usitatiore vocabulo sanctimoniales appellare consuevimus. Sed et in Conc. Carthag. IV. Can. 11. Sanctimonialis virgo, cum ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus vestibibus applicetur,

---

nialibus centum viginti octo comprehendit. etc.<sup>66</sup> Apud Theodoretum lib. 3. H. Eocl. cap. 7. narratur, quod Ascalonae et Gazae, urbes Pallaestinae virorum sacerdotii honore praedictorum, et mulierum, quae perpetuam virginitatem professae fuerant, ventres dissecuerunt, et hordeo postea completos porcis vorandos praebuerunt.

\*) Vestes religiosarum foeminarum describit S. Hieronymus in Epist. ad Eustochium Virginem.

quibus semper usura est, profelsioni et sanctimoniae aptis.

Eusebius quoque Caesariensis in libr. de Martyribus Pallaestinae aliquoties tales feeminas venerabili memoria tangit, quas omnes adpositae circumstantiae excellentiores depingunt, et vero sensu moniales. Cap. 23. scribit: *Alia quaedam mulier, quae virginitatis propositum perinde, ac prior amplexa fuerat. etc.* Propositi autem vocabulo, ut annotat doctifs. Carolus Blascus opuscoli canon. storici critici Tom. I. Napoli 1758. pag. 207, cum agitur de continentia, ejus votum, seu profelsionem apud ecclesiasticos scriptores venire, notius est, quam ut probatione indigeat. Puto id fecisse Patres veteres, ut denotarent ejus stabilitatem, et perpetuitatem imitando Apostolum, qui Dei decreta rata, et immutata proposita vocare in more habuit. Immo Cap. 28. Eusehius meminit foeminae virginitatis infulis decoratae, origine scythopolitanae, nomine Ennathae. Gestabant autem virgines publice castitatem profelsae aureas, aut lineas infulas, seu Mitras, aut Mitrellas in capite, ut pluribus demonstrant Binghamus. Selvaggius et Martene. Nescio tamen, an mulieres ecclesiasticae, seu Deo devotae, quas a nostris coenobiticis distinguimus, et quae in paternis laribus vivebant, mitrellis hisce usae fuerint; saltem si Mitrae a velis, aut velaminibus minime disjunctae sint, probabilior fert sen-

tentia, solis monasticis hocce capitis ornamentum convenisse. Sed cum S. Isidorus lib. II. de offic. eccles. C. 17. Mitram a velo distinguere, eamque *devotis*, hocce *monialibus* concedere videtur, \*) malumus a longiori abstinere argumentatione, praesertim cum clariora adhuc supersint documenta.

In actis Ss. Saturnini et caet. Mm. nominatur Maria Sanctimonialis, et alia nomine Victoria, cujus historiam supra P. I. §. 15. dedimus. In actis S. Luciae, quae Bollandiani ad 24. Junii afferunt, praeter Luciam et aliae Virgines Sanctimoniales dicuntur. In Actis Ss. Thepdoti etc. Mm. septem memorantur virgines, quae a prima aetate exercitatae ad virtutem, doctaeque prae cunctis aestimare continentiam, et Dei timorem ante oculos habere, Harum senior, Tecusa nomine, jam septuagenaria, et reliquae haud minoris aetatis, cum lacrymis impudicum affata juvenem, et Velum raptim discerpens, ostendebat capitis sui canitiem. Universam tandem litem decidere possunt acta S. Febroniae, quae e vaticano codice manuscripto graece ediderunt Socii Bollandiani ad 25. Junii. Palsa est haec Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia sub Diocletiano.

---

\*) Cla. Martene lib. II. de antiq. eccles. ritib. Tom. III. pag. 113. virginibus velatis tantum Mitram concedit. Vide quoque Baronium in Notis ad Martyrolog. Rom. 7. Maji Flaviae domitillae.

*Erat ibi (nempe in ipsa urbe) ut acta referunt, monasterium foeminarum circiter quinquaginta, inibi se exercentium, quibus praeerat quaedam, nomine Bryenne, discipula olim cujusdam Platonidis, ante ipsam functae diaconatus officio, cujus regulam et traditiones usque ad illud tempus praeclare servabant: Nec destitutas fuisse sanctimoniales illas habitu religioso, ex eo apertissime convincitur, quod cap. 3. n. 20. referatur Thomais magistra S. Febroniae, assumpto saeculari habitu, processisse ad spectaculum Martyrii. In ipsa quoque regula ordo servitii divini clare notatur. FERIA sexta nullis sororum licebat quidquam operari, sed in Oratorio congregatae manebant; post expletum Psalmodiae cursum, librum accipiebant Platonis, (magistrae supra nominatae) divinasque scripturas ex eo perlegebant sororibus usque ad horam nonam. Mortuae Febronicae corpus Episcopus cum monachis, et monialibus sustulerunt, et transportarunt, ut acta multis verbis narrant.*

His late deductis vix tacere possumus, quoniam noster specialis in hoc §. fuerit scopus. Edidit nempe anonymus quidam librum, alibi modo citatum, germanico idiomate: *Die Möncherey, oder geschichtliche Darstellung der Klosterwelt. Stuttgart 1819.* in quo plurima falsa, et mendacia miscet. *Indecorum reputamus\**), aperto Marte iterum congregari cum

---

\*) Hanc epistolam cum fere ad finem perduxerit ty-



hocce sordidae plebis alumno; qua de causa, ut

pographus, ad manus nostras pervenit liber Doctoris Augusti Kestner, Theologiae professoris extraordinarii, hoc anno 1819 Jenae editus: Die Agape, oder der geheime Weltbund der Christen von Clemens in Rom, unter Domitians Regierung gestiftet. Quae vir litteratus hic congerere studet, plane singularia, ac hucusque inaudita sunt, vereorquene, dum arundineae omnes sunt ejus constructiones, ac partes, mox corruat totum aedificium. Quas enim sanior crisis hucusque rejecit spurias, supposititias, ac falsas Clementis Romani merces V. G. libr. Recognitionum, Martyrium Clementis, Epistol. ad Jacob. etc. Constitut. apostol., has ipse tanquam genuinas admittit, ex iisque omnia deducit; quae vero tota antiquitas tanquam certa opera agnovit, V. G. S. Petri II. epistol. S. Pauli epist. ad Hebraeos, Epist. S. Judae etc. ipse tanquam deliramenta in fabrica romana Clementis excogitata adducit. Eusebium Caesarensem versipellem, corruptumque historicum nominat; econtra Dionysii Areopagitae libros omnes extollit.

Statuit confoederationem offensivam, et defensivam — Trugs- und Schugbund — a Clemente Romano Pontifice post mortem apostolorum Petri, et Pauli, vivente adhuc Joanne Evangelista fundam ad subruendum Romanorum imperium, qua causa et ipsum Clementem appellat authorem omnium bellorum, quae gerere coacta Respublica

Romana, seditionum, ac rebellionum, quas his temporibus exortas historia narrat; et ad stabilendum, extendendumque Christianorum systema. — Alumni hujus foederis, aut potius universalis rebellionis erant Policarpus, Ignatius, Hermas, Papias, caeterique omnes, quos primitiva ecclesia veneratur antistites. Ecce Synopsin totius libri calamo auctoris depictam. Klemens, ein römischer Patriarch, hat nach dem Tode der eifrigsten Apostel seiner Lehrer Paulus und Petrus, den Plan zu einer Weltrevolution entworfen, welche der ihm heiligen Sache des Christenthums über die Religionen, Lebensgrundlage, Sitten und Institute der alten Zeit den Sieg verschaffen und christliches Denken und Leben zum allgemein geltenden Geiste einer neuen Zeit machen sollte. Durch einen geheimen Bund in allen Theilen des römischen Reichs, dessen strenge Disciplin das zügel- und regellose Volk an Ordnung und Pflächterfüllung zu gewöhnen, die Leugner nach und nach moralisiren, die moralisch Kräftigen aber in dem Stufengange einer symbolischen Geheimlehre auf den Umsturz der alten politisch-religiösen Verfassung des Weltstaates vorbereiten und jeden, für den Umwälzungsplan Empfänglichen, auf einen bestimmten Posten der organischen Gliederthätigkeit des Bundeskörpers stellen sollte; durch eine solche Geheimverbündung glaubte der, von Christus Religion begeisterte, politisch-weitsichtige Mann, den entschiedenen Triumph der christlichen Sache zum Wohle der Menschheit herbeiführen zu können. Die Zerstörung von Jerusalem gab die erste

hodiernos inimicos probaremus, latiori deduximus

---

Signal zur Stiftung des christlichen Weltbundes, welche unter Domitians despotischer Regierung, wo Alle in allen Ländern sich nach einem bessern Zustande der Dinge sehnten, leichtlich ins Werk gesetzt wurde. Durch eine große Menge, dem Geiste der Zeit wie dem Bundeszwecke gemäß erdichteter und allgemein verehrten Christen = Namen untergeschobener Schriften, durch Einführung einer neuen, zu Gunsten der Bundesache erfundenen, Auslegung der ächten Apostel- und Prophetenbücher, wie durch treue, Kluge und kräftige Gehülfen in vielen Gegenden, wußte Klemens znerst die verschiedenen christlichen Apostelssekten in einen Körper zu verbinden und alle ihm willfährigen Gemeinden noch seiner apostolisch genannten Bundes = Constitution gleichförmig zu reguliren und zu discipliniren. Zu gleicher Zeit hatte die Verbreitung christlich interpolirter oder neufabricirter jüdischer und heidnischer Weissagungsschriften auch viele Juden und Heiden für das Interesse der christlichen Sache gewonnen. Dann hatte die List einiger Klementinischen Bundesgenossen der von Johannes dem Evangelisten gestifteten Mysteriengesellschaft der sogenannten Theologen, ihre geheimen Urkunden und Mysterienbücher entwendet. Der Bundesstifter hatte das Einweihungs = Ritual der Johanneischen Geheimnisse mit heidnisch-jüdischen Ceremonien und maurerisch = mystischen Symbolen verbunden, und so, nach Errichtung eines christlichen Priesterthums, einen gottesdienftlichen Mysterienkultus geschaffen, der durch seine Missionare und Gehülfen in allen Theilen der damals kultivirten Welt, in Palästina und Spanien, am Cu-

## hanc causam stylo, ostendentes, apostolicae institu-

phrat wie am Rheine, unter dem größten Beifalle aller Religionsparteien und Stände, eingeführt wurde. Beim Märtyrertode des Klemens war sein wichtiges Unternehmen so weit realisiert, daß der christliche Brüderbund nach einer sehr wahrscheinlichen Schätzung über eine Million in allen Weltgegenden zerstreute, festverbundene Anhänger zählte.

Domitian hatte den Geheimbund gewittert, ohne ihn treffen zu können; der greise Nerva war durch die Verbündeten auf den Thron erhoben und ließ sie eine Zeitlang ruhig agiren.

Trajan verfolgte sie nach militärischen Maaßregeln als Staatsverbrecher und seinen polizeilichen Anstalten gelang es, die ersten Urheber und Häupter des Bundes zu greifen und viele Tausende ihrer Mitverbündeten mit Ertl und Todesstrafe zu belegen.

Die durch diese Verfolgung geschüchternen Bundesbrüder mußten sich unter der Maske operativer Baugesellschaften, worein sie sich verbargen, die Begünstigung des Kunstliebenden Hadrian zu erwerben.

Unter Antonin dem Frommen, der den Christenbund politisch-streng bewachen ließ, die Christen aber als innige Gottesverehrer schützte, suchten sich die Verbündeten durch mehrere, aus verschiedenen Gegenden übersandte Apologien vor der Regierung zu rechtfertigen, während viele kräftige Männer in der Christenekte austraten und, von Lucian unterstützt, einen geistigen Kampf gegen die Ideenwelt und die Lebensweise der jüdischen, heidnischen,

tionis esse ordines monasticos, quod, ut spero, lectorem catholicum non poenitebit.

und christlich-gnostischen Zeitgenossen mit siegreichem Erfolge unternahmen.

Marc-Aurel ließ sich in die christlichen Mysterien einweißen, pflog mit mehrern christlichen Männern Briefwechsel und Umgang, gerirte sich seine ganze Regierungszeit hindurch als Protektor der Christen und würde, nach seinen planmäßig gemachten Vorbereitungen zu schließen, das Christenthum aus moralisch-religiösen Gründen zur Staatsreligion des Römerreichs erhoben haben, wenn nicht der noch allzumächtige antichristliche Zeitgeist ihn verhindert und ein schneller Tod mitten unter kriegerischen Umgebungen überrascht hätte.

Bis zur Regierung der Antonine hatten die Nachfolger des Klemens auf dem Bundespräsidenten-Stuhle zu Rom den Welt-Bund immer noch durch ihre Auktorsität innerlich und äußerlich zusammen gehalten, ob sie gleich uur mit Mühe durch mannichfache schlaue berechnete und listig ausgeführte Mittel sich ihr Oberhauptansehen sichern konnten. Als aber Pius mit einer schon fast päpstlichen Arroganz für den ganzen Christenbund zu dekretiren anfing, erhielt der christliche Liebesbund seinen ersten Riß, welchen nur die Sorgsamkeit des alten Polykarp, der einer der ersten Verbreiter der Agape gewesen war und die Anspruchslosigkeit des folgenden römischen Präsidenten Anicet wieder heilen konnte. Eine größere Gefahr drohte dem Bunde von Seiten der Montanistischen Rebellion, deren Feuerheerd so lange in der Agape brannte, bis man die Auftrörer aus der Verbindung



mit denen ausstieß, welche den Sieg der Christus-Religion nicht mehr durch revolutionaire Gewaltmittel, sondern durch ihre geistige Uebermacht über den schon fast erstorbenen Geist der alten Zeit herbeigeführt wissen wollten.

### Coronis.

Praestat nunc, Venerande Collega! meam epistolam illis verbis finire, quibus Sanctus Hypponensium praesul Augustinus suum secundum de civitate Dei exorsus est librum.

Nunc vero, quoniam illa est major et taetrior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plene redditam, quanta hominis ab homine debetur, sive nimia coecitate, qua nec aperta cernuntur, sive obstinacissima pervicacia, qua et ea, quae cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem veritatemque de-

ferunt; fit necessitas copiosius dicendi: ut plerumque res claras, velut eas non spectantibus intuentibus; sed quodammodo tangendas palpantibus, et coniventibus offeramus.

### O. A. M. D. G.

---

#### Errata principaliora.

Pag. 6. lin. 23. ibro — libro.

70. — 5. Cliscire — Clericis.

74. — 25. qui — quae.

75. — 9. loqua — loquar.

119. — 15. quitidie — quotidie.

Caetera minora prudens lector corrigat.



Bei J. H. C. Schreiner in Düsseldorf sind  
zu haben:

Bachoven, A., Gesetzbuch über den bürgerlichen Prozeß.  
Aus d. Franz. übersezt, und mit erläuternden und  
vergleichenden Anmerkungen und vollständigen For-  
mularen begleitet. gr. 8. 811.

8 fl. oder 4 rthlr. 16 ggr.

Beckhaus, W. J. H., Sammlung einiger öffentlichen  
Vorträge für Freunde einer reinbiblischen Religions-  
erkenntniß und eines thätigen Christenthums. gr. 8.  
798.

2 fl. 15 fr. oder 1 rthlr. 12 gr.

Benzenberg's, D. J. F., vollständiges Handbuch der  
angewandten Geometrie für Feldmesser, Landmesser,  
Markscheider, Forstbeamte, wie auch zum Selbst-  
unterrichte und für Schulen, mit 12 Kupf. und  
239 Holzschn. 3 Thle. enthält. Die Rechenkunst,  
Geometrie, Trigonometrie. 8.

— Anfangsgründe der Rechenkunst und Geometrie,  
für die Feldmesser des Großherzogthums Berg, und  
für Landschulen. Neue wohlf. Aufl. Des vollstän-  
digen Handbuchs 2c. 1r. Theil mit 50 Holzschn.  
und 2 Kupfertaf. 8. 1818. 1 fl. oder 16 ggr.

Benzenberg's, D. J. F., Die Rechenkunst und Geometrie für die Geometer des Großherzogthums Berg, und für Stadtschulen. Des vollständ. Handbuchs 2c. 2r. Theil. Mit 2 Kupf. und 180 Holzschnitten. 8. 1810. ord. Druckpap. 6 fl. od. 3 rthlr. 12 ggr.

Weiß Druckppr. 7 fl. 30 fr. od. 4 rthlr. 8 ggr.

— — höhere Rechenkunst und ebene und sphärische Trigonometrie für Oberlandmesser 2c. Des vollständ. Handbuchs 3r. Theil. Mit 8. Kupf. und 9 Holzschn. 8. 1813.

ord. Druckppr. 7 fl. 12 fr. oder 4 rthlr.

Weiß Druckppr. 9 fl. oder 5 rthlr.

— — Beschreibung eines einfachen Reisebarometers. Nebst einer Anleitung, zur leichten Berechnung der Bergshöhen. Für Freunde von Barometermessungen. Mit 1 Kupf. gr. 8. 1810.

2 fl. 30 fr. oder 1 rthlr. 12 ggr.

— — Der vollkommene Visirmeister; oder faßliche Anweisung, alle volle und nicht volle Fässer auszumessen; nebst einer Anleitung zur Verfertigung der Visirstäbe. 8. 1811.

ord. Druckppr. 1 fl. 15 fr. od. 18 ggr.

Auf weißem Druckppr. 1 fl. 36 fr. od. 1 rthlr.

(Der Visirmeister ist aus der Geometrie separat abgedruckt.)

Binterim, Ant. Jos., Comment. hist. — criticus de libris baptizatorum, conjugatorum et defunctorum antiquis et novis, de eorum fatiis, ac hodierno usu: ubi et de non sepeliendis in Coemeterio sacro suicidis aliisque ab ecclesia ex-



communicatis. Adjunctum est: Judicium theolog. de hac materia clarifs. et eximii theologi Coloniensis Carrich. 8. 1816.

1 fl. 20 fr. oder 18 ggr.

**Binterim, Ant. Jos.**, de capitulis Theodori Cantuariensis episcopi et canonibus Synodi Vermeriensis et Compendiensiſ haud genuinis. Dissertatio crit, in qua non interrupta ecclesiae cathol. doctrina de indissolubili matrimonii vinculo ex Anglicana et Gallicana disciplina contra anonymum dissertatorem Francofordiensem vindicatur. 8. 811.

— über Ehe, und Ehescheidung nach Gotteswort und dem Geiste der katholischen Kirche; zunächst als Wiederlegung der Schrift des Herrn Carl Joseph von Lassaulx. — Uebereinstimmung der französischen Ehetrennungsgesetze mit Gotteswort, und dem Geiste der katholischen Kirche als ein Beitrag zur Vereinigung der christlichen Gemeinden. — Koblenz 1816. 8. 1819.

**Brewer, J. P.**, Anfangsgründe der sphärischen Trigonometrie, zum Gebrauch der Schüler des Düsseldorfer Lyceums. Mit 5 Kupfer. 8. 1813.

ord. Druckppr. 2 fl. oder 1 rthlr. 4 ggr.

Auf weißem Druckppr. 2 fl. 36 fr. od. 1 rthlr. 12 ggr.

**Kelleßen, L. A.**, Die Bekenntnisse des heiligen Augustins mit eingestreuten Anwendungen auf unser Zeitalter in fünf Fastenpredigten. 8. 1819.





825

1.35







